


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/




FRED. WILLIAM HOPE.

Nº 126 = J W Hope



[redacted]

N.º 146 -



JOHANNIS BAPTISTAE
BIANCHI

In Archiatrorum Magistratu Primi a Consiliis Regiaque Taurinensi in Academia Medicae Facultatis Professoris &c.

De Naturali in Humano Corpore, Vitiosa Morbosaque GENERATIONE

HISTORIA

Cum aeneis Tabulis, justisque Rerum Indicibus.



AUGUSTAE TAURINORUM MDCCXLI.

Typis JOANNIS BAPTISTAE CHAIS Typographi S. S. R. M., suorum Excellentissimorum Magistratuum, suaeque Regiae Universitatis.

IMPRIMATUR.

Vic. Gen. S. Officii.

V. Baroè M. R., & Med. Facult. Regens.

Se ne permette la Stampa. Morozzo per la Gran Cancelleria.



ORATIO

IN REG. TAUR. ACAD. ANAT. THEATR.

XII. KAL. FEBRUAR. MDCCXL.

A JOH. BAPT. BIANCHI,

Dum publicam inciperet Anatomen,

Coram EXCELLENTISSIMO Rei Litterariae MAGISTRATU

HABITA:

QUAE SEQUENTIS OPERIS *PROOEMIUM* EST.



UM ab hujus Academiae instauratione ad haec usque tempora, nihil unquam jucundius habuerim, praeter frequentiam hanc vestram, N. N., Quâ dum me ex hoc amplissimo loco dicentem quotannis excipitis, gratos vobis esse acceptosque labores hos meos humanissimè ostenditis; id profectò in caussa est, cur ego officia in me vestra grato pariter memorique animo prosequuturus, nova semper, & si Diis placet Vobis non indigna, dicendi argumenta excogitaverim; eaque solemni hac die, quo cultu vires meae patiuntur, coram vobis habere studuerim. Quapropter, cum ante hos viginti annos Anatomicae Scientiae prae-

Anno MDCCXX ſtantiam, ejusque cum bonis omnibus diſciplinis neceſſitudinem, in ſolemnibus Comitiis praefatus, hanc Provinciam ſuſceperim, eodemque ſcholaſtico anno exor-
MDCCXXI dia humanorum ſtaminum, eorum naturas & ordines, & ad ſingulas ordiendas Hominis partes connexus attulerim; ſequentibus indè annis, quae in hac Facultate nobiliora mihi viſa fuerant, publicis proluſionibus complectebar. Omnia igitur
MDCCXXII humani corporis canalium genera, & principum ſecretionum loca, & animalium motuum inſtrumenta, & oſſa ſingula eorumque artificium & robur, aliquando prolata ſunt. Miniatis hinc Tabulis quaslibet oculorum partes, opticenque ſpectantes leges, explicare perreximus. Poſtea in alium
MDCCXXIII ordinem revolutâ totiusHominis machinâ, atque membranis, muſculis, tendinibus, ligamentis, cartilaginibus, glandulis, viſceribus, univerſis partibus perluſtratis, recentes, eosdemque praecipuos omnes, Anatomicarum Rerum Inventores Viros cenſere ac celebrare viſum eſt. Acceſſit in-
MDCCXXIV dè Muliebre, a nobis inventum & conditū, gravidumque integrae eminentiae Simulacrum; quo non illae ſolùm, quae conceptum reſpiciant partes; ſed caeterae penè omnes corporis, uno intuitu revelatae
MDCCXXV ſunt. Succedebant nova venarum & arteriarum, a nobis quoque inventa conſtru-

ctaque

ctaque Simulacra: Quibus quaeque ſint, internae & externae, horumce vaſorum propagines, propriis in ſedibus oppidò ſpeculati ſumus. Hinc aliâ luce, ſuſcepta, per omnes & maximè priſcas aetates, Anatomica Studia & Inventa aperire contendimus. Sed nova deindè nervorum & oſſium numeris omnibus abſoluta Statua, ut ſuperiores aliae venoſum undequaque, aut arteriacum Hominem fecerant, ita in ſingulis minimisque partibus aequè eleganterque nervoſum explicuit. Sequenti felicique anno, quo Tu *EXCELLENTISSIME PRIME PRAESES*, Litteras regere atque fovere coepiſti, illaeque exindè magis magisque floruerunt, praelocutione noſtra demonſtratum eſt: Anatomen ritè cultam totius Facultatis Medicae Caput & Cardinem eſſe: Novosque, recentibus praecipuè ſaeculis, detectos morbos, imò nova remediorum genera & opera, Anatomicis Studiis omnino deberi. Intereà poſt longè latèque evolutas eas, quae notae jam ſunt, humani corporis provincias, invias hactenus, parvique hujuſceOrbis velut ignotas terras deſignavimus: Et quidquid in Anatome, ipſaque ob mancam Anatomen Praxi medica, adhuc deficiat; & quidquid Poſteri addituri ſint, ſingulatim attigimus. An non ex Italorum inventis atque lucubrationibus Anatome &

MDCCXXVI *MDCCXXVII* *MDCCXXVIII* *MDCCXXIX*

Praxis illuſtrata eſt? Id quidem ſingulari
Prooemio, & hujuſce gentis inventorum
MDCCXXX Hominum recenſione, tractatum fuit. An
non ſelectiora nobilioraque mechanica ma-
chinamenta, Facultates aliae ab Anatomia
MDCCXXXI didicerunt? Id quoque a nobis eſt prodi-
tum. An non ex brutorum plantarumque
comparata Anatome, Hominis fabrica
MDCCXXXII praeclariùs innotuit? Et nos comparatam
Anatomen in ſingulis humanis partibus ſtu-
dioſè diſcuſſimus. Porrò ut Mundi par-
tes omnes, ita animalium quàm maximè,
certo numero, pondere menſurâq; ſtatutae
MDCCXXXIII ſunt. Haec pariter ubiquaque humani cor-
poris adamuſſim perpendimus. Atque cum
Viro Anatomico honeſtius acceptiusque ſit
nihil, quàm ſuae Facultati accrementa fa-
cere; Nos numeroſiſſimis foetibus, ab ovo
ad natum Hominem undequaque collectis
ac praeparatis; iisque ſingulis homuncio-
nibus, qui ad quintum quemque totius
graviditatis diem reſpondeant, ad hunc lo-
MDCCXXXIV cum explicatis, eorumque enarratâ abſo-
lutâque Hiſtoriâ, in haec quoque conati
ſumus. Sed alia ulteriús Inventa noſtra,
Simulacra alia, Tabulas alias, liquoribus
injectos aut balſamis conditos Homines,
novasque horum partes, earumque ſingu-
lares apparatus, ſequenti Anatomicâ Prae-
MDCCXXXV ſatione demonſtrare ſategimus. Demum
poſtremis

postremis iis annis externas & internas Capitis partes, & interiorum atque exteriorum sensuum instrumenta, & motuum altiora organa, naturalibus novis & artificiosis quoque partibus recollegimus atque revisimus. Tum verò insignia superioris saeculi Anatomica Inventa, ad ea praesentis aetatis contulimus ac comparavimus. Liquidarum humani corporis & solidarum, sensilium & insensilium partium complexum atque harmoniam tradidimus. Illaeque inutiles res, quae istis aetatibus ab Anatomicis inquiri plerumque solent; utiles verò, quae omissae jacent, proximè superiori anno sigillatim discussae sunt.

MDCCXXXVI

MDCCXXXVII

MDCCXXXVIII

MDCCXXXIX.

Quibus quidem omnibus per me sumptis argumentis, atque in hoc amplissimo Theatro coram Vobis ex ordine pertractatis, quamquam omnes humani corporis partes functionesque, sat superque comprehensae fuisse videantur; fatendum tamen est, *Auditores*, nihil hucusque dictum esse de illa Hominis functione, quae tantùm caeteris praestat, quantúm humana vita rebus omnibus antecellit. Nam machinarũ cõspirantium functiones, quibus humanum corpus excrescit, nutritur & vivit, nisi agendi principium consequantur, quia suaptè naturâ inertes illae sunt, perpetuò quiescẽt. Quaenã igitur Vis illa est, quae functio, per quam

humani corporis fluidae solidaeque partes, ovo conclusae, aliae in alias concitantur, impelluntur, calefiunt, & vivere incipiunt? Undenā tot humorum fluxus & secretiones? Quomodo tot solidorum corporum vibrationes & impetus, tēsiones & motus excitātur? Annon haec omnia aliquando pertractabimus? At veró id praestare difficiliús est, quò minús ad haec usque tempora innotuit Vis illa, quâ genitura virilis ad femineum semen perveniens, matura ova commovet, afficit, foecundat. Vis quidem & qualitas occulta, atque illi, quam *electricam* vocant, omnino comparanda. Vos enim non ita pridem in hoc eodem Theatro usque ad caput Hominis ignitas excitari motiones, admoto tantùm ad pedes vitreo fricato tubo, non minori jucunditate, quàm admiratione vidistis. Annon ex subito hoc motu multum luminis desumendum est ad subitos motus illos dignoscendos, qui per generationem in quibuscumque animalibus producuntur? Sed generationem prosequi, quantumvis difficillimum sit, nihilo tamen minùs ut difficiliora etiam in ejus origine aliquando aperiantur, me juvat hodiernâ luce suos effectus sermone complecti. Generatio igitur actio est, quâ corpus organicum, propriâ adhuc vitâ destitutum, & alio jam vivente inclusum, ab eodem sol-

Generatio quid sit.

vitur

vitur atque explicatur, ut motus vitae proprios exerceat. Organicum verò corpus, materiae contextus eſt, ex ſuccis, canalibus & aëre reſultans; quo hae partes motu proprio & reciproco, quem vitalem dicimus, moventur, aut moveri poſſunt. Sed cum motus iſte in viventibus perpetuus non ſit; idcirco ex vivente organico & morituro corpore, ut eadem ſemper ſpecies ſervetur & propagetur, novum alterum, aut plura generantur. Porrò generationis argumentum, licèt de ea tantúm ſermo inſtituatur, quae aut naturalis, aut vitioſa, aut morboſa in humano corpore fit, ampliſſimum ſanè, & prolixum nimis eſſe videtur. Quod ne mihi dicenti, & Vobis audientibus moleſtiae foret, Typis edere, Vobisque donum facere cogitavi. Ita pariter mihi volupe eſt, vigeſimum hunc adoleſcentis Academiae completum annum, quem ſumma PRINCIPIS Providentia, tam Illuſtrium ejus Moderatorum & Patrum ſelectione, memorabilem beatumque facit, ſingulari opere celebrare. Ego interim quò breviús potero, partes Liberculi, quem editurus ſum, ſummatim modò percurram: Et mirum illud animalis vitae exordium, ſi vires ferant, in poſterum aggreſſurum eſſe polliceor. Atque utinam Cycnum imiter; qui ad finem properans, cantum elegantiús modulatur.

Et quid vivens organicum corpus.

Generationis neceſſitas.

Quemadmodum ſupremus naturalium rerum ordo,in continuis generationibus ſimilium a ſimilibus earumque gradatis explicationibus ſitus eſt; ita in animalibus non ſolùm & plantis, ſed metallis ipſis aliisque foſſilibus corporibus,generationis principia atque inſtrumenta quotidiè a Philoſophis inquiri ſolēt. Et verò quatuor iſta ſunt: Praevium germen, ſeu ſemen aut *embryo*, quod idem eſt: Folliculus continens, qui ovum dicitur: Foecundans, ſeu generans cauſa: Demum foecundati germinis,ad uſque generationis complementum, conveniens ſtationis locus, qui incubatus vocatur. Incubatus ratione animalia *vivipara* altera; altera *ovipara* dicta ſunt: Prima, quorum ova internè ſeu in utero matris; Altera quae extra matrem incubantur. In Humano corpore generationis inſtrumenta cū eadem ſemper non ſint, humanas idcirco generationes in naturalem, vitioſam atque morboſam diſtingui oportet. Naturalis generatio eſt,quum naturale germen & ovum in *ovario* ſunt: Tum generans naturale principium ad hunc locum operatur: Et creata ova foecundataque,in naturalem incubatus ſedem, ſeu in uterum deſcendunt; ibidemque ſtata tempora complent; & gradata incrementa, ad uſquè expletam foetus maturitatem ae naturalem partum, conſe-

Operis Diviſio.

quuntur

quuntur. Vitiosa generatio est, in qua quidem naturalis ovorum sedes & solita generans causa, non idem verò incubationis locus; aut ejus saltem tempus vel brevius, vel longius, neque ideò naturale est. Atque morbosa generatio est illa, in qua neque ovorum & germinum idem locus; neque idem foecundans generansque principium, neque eadem incubatus est sedes. Nos itaque nostro hoc opusculo primùm naturalem in humano corpore generationem, deinde vitiosam, tertiò morbosam prosequemur.

Ad naturalem generationem explicandam accedent humana germina, distinctis ovis, ceu capsulis, in muliebri *ovario* antè generationes implicita & condita; hinc per succorum confluxus accreta; hinc matura, hinc foecundata & explicita; postea in foetus, demum in natos Homines ampliata. Quid igitur ovorum maturitas, quid eorum alibilia vasa, eorumque congeries seu *placenta* sit; & quale in *ovario* eorum intercedat commercium, diligenter explicabitur. Atque *embryones* ab *ovario* solvi; in uterum delabi, ipsique annecti; *amnii* liquorem immutari; sanguinem confici; cordis motum, humorum circuitum, caeterasq; vitales omnes excitatas res, cõtinuam actionem esse suspiciemus. Ad primam in *Primae Partis Summarium.*

utero

utero foetus aetatem, quidquid eidem cum matre liquorum & motuum commune sit; & quae partes in foetu agant, in nato adultoq; deleantur indè, aut otiosae permaneāt: In altera verò aetate, unam primis mensibus Homunculi nutritionem esse; sequentibus celebrari duplicem; & quid partus causa potissimùm sit; & quid a partu contingat in Homine, singulatim ostendemus. Deindè ut ea, quae antè partum adveniunt, patentiora fiant; ad recens ovum redeuntes, ejus in utero, toto graviditatis curriculo, accretionum leges & ordines, a nostris Archetypis omnino demonstrabimus. Neque omissa erunt foetus in utero versionis tempora & causae; & quaeque indè succedant res: Neque *placentae* loca in *ovariis* & utero, ejusque nexuum singulares modi: Neque illae ejusdem atque *umbilicalium* vasorum, quae graviditatis processu mutationes contingunt. Ita proditis in omni sede ovorum emisphaeriis & formis, uterique cum foetu accrementis; & quantum par erit, *embryonum*, foetuum, *ovariorum*, tubarum, uteri, *placentae*, ejusque vasorum, aliarumque secundinarum reclusis fabricis atque rationibus; nostrisque insuper, cum aliorum foetibus comparatis, iisque omnibus per justas icones patefactis, veritatem acu tetigisse aliquando confidemus. Sed cum tot illa instrumenta, quae in humanam naturalem

ralem generationem conſpirant, vitioſae quoque generationis perſaepè ſint cauſae; idcircò Opuſculi Pars altera in illos, eheu nimis crebros, malae generationis modos, locos & ordines progredietur; undè tanta mulierum infortunia orta ſunt.

Recens Anatome veterem, nec rarò fatalem, abſterſiſſe errorem viſa eſt. Majoribus enim noſtris omnes in feminis graviditates, quae extra uterum in abdomine evaſiſſent, ſemper extitiſſe in utero arbitratis, iis illae ſolùm victimae non ceciderunt, in quibus eorum cultri ſtatutas ad metas fortuitò non pervenere. Nunc poſt inventas ſuperiori ſaeculo muliebrium ovorum ſedes, eorumque non infrequentes detectos lapſus, ſperandum eſt, gravidarum ſectiones ad fauſtam tutamque methodum revocari poſſe. Utinam quae modò inquirunt plerique Anatomici, iis quoque non paucis, quae in Medica Praxi deſiderantur, ſimili modo conducant. Igitur in mulierum organis, in *ovariis*, in tubis, in utero, quae facilem vitioſis generationibus viam ſternant, inquiremus: Cur iis Mulieres, plusquàm animantia caetera, obnoxiae ſint; & quaenam earum intemperantiae iisdem cōferant, adamuſſim explanabitur. Vitioſi conceptus omnes advenient, externi, interni, intermedii: Molae, falsa germina; & monſtra: Foetus vel diutiùs coërciti, indè- *Et alterius Partis.*

que

que exſiccati, corrupti, aut etiam incorrupti; vel breviùs immorati; quos abortus denominant. Differentias omnium, indicia, ſolemniora exempla, noſtris maximè Hiſtoriis accuratè exponemus. De celebri vitioſorum aliquorum conceptuum auxilio, ſeu caeſareo partu, interno externoque, prolixiùs tractabimus. At ſolis ne Mulieribus generationum incommoda? Quippiam utrique ſexui commune eſſe debuerat. Hoc quidem in morboſa generatione evenit: Cujus periculis Mares & Feminas aequaliter ſubjici ſancitum fuit.

Et Tertiae. Rem itaque per verminoſas eas germinationes expediemus, quae dum in humani corporis partibus morborum ſunt cauſae, morboſae generationes dicentur. Atqui cũ humani vermes vel intra vel extra cibarium canalem degant, primique, vel naturales ſint vel morboſi; nos naturales, ſeu teretes lumbricos, pineales, taeniolas & aſcarides, qui familiares Homini hoſpitesque ſunt, neque nocui, niſi jiſdem nos ipſi malâ priùs nutricatione noceamus, ex initio paululum memorantes; peregrina & infeſta, in alimentorum fiſtula aliisve in partibus orta aut intruſa, animantia ſingulatim percurremus. In inteſtinis Taenias, quas veras dicunt, & quae fortè teretium ſunt monſtra, variis re ipſa ſpeciebus & formis, undè tanta Scriptorum diſſidia manant

nant, instructas esse intuebimur. Cucurbitini Vermes dicti, eorumque novae partes, invisique ad hanc diem juncturarum modi, atque earum rationes aperientur. Postmodum inter monstrosa memoratorum canalium animãtia, *lacerti-forme*, aut si lubeat, *salamandri-forme* insectum adveniet. *Eruciforme* vel potiùs *bombyci-forme* subsequetur: Aderit quoque *angui-formis viviparus* vermis: Cujus caussâ *intestinales* ipsos ordinarios, *oviparos* esse alteros, alteros porro *viviparos*, exemplo pariter *oviparae viviparaeque* muscae, conjiciemus. Extranea prorsùs humani corporis bruta, ab extraneis quoque parentibus propagata esse constabit. Sed ad sotos extra intestina natosque vermes progressi, horum alios, qui in partibus sunt, e quibus exitus pateat; alios, qui alicubi degant, undé exire non queant, ex ordine prosequemur. Ex tribus primorum classibus, prima, in externorum sensuum organis aut caveis viventes, seu aurium, narium, oculorum & oris distinctim vermes complectetur: Altera vermes, per naturalia trajicientes docebit; nimirum *renales*, aut aliter urinales dictos; itemque, qui utriusque sexus genitalium partium morbosi sunt; Tertia, aërearum majorum viarum incolas, seu pulmonarios, revelabit: Plerosque singularibus nostris Historiis firmabimus. Deinceps ad eos, qui ad

corporis

corporis fores non positi, nullam videntur habere viam, quâ exeant, gradu facto; primúm hepaticos vermes exquiremus: Hinc illos, qui nidulantur in cerebro: Tum quae super iis planè comperta sunt, adjiciemus. Succedent lienis, pancreatis, pericardii, ipsiusque cordis aliorumque viscerum vermes. Neque deerit volatile insectum, spermaticae Hominis venae assidere repertum: Ejusque folliculus atque incubatio ostendentur. Porrò dum *mesentericos* aggrediemur, naturales hominum vermes suaptè naturâ nec rumpere nec rodere, appositè demõstrabimus. Praesto erunt intermedii generis alii, seu qui inter externos internosque censendi, variam cum propriis latibulis rationem cõsequuntur. Scabiei vermes atque phthiriasis pediculos, singulari classe memorabimus: His recenti quodam addito vermium, cujuslibet morbi propriorum, Commento; habitoque insuper, in corollarii locum, brevi vermium sanguinis, naturalium morbosorumque, sermone; ipsaque ad complementum Operis, humanorum Cadaverum genuina animalia, eorum chrysalides & nata muscarum genera; & singula, quae nobis ipsis aut fide dignis Hominibus nota sint, suis locis attingẽtes; & difficiliora, si quae fuerint, quantúm liceat, explanantes; tum demum praecipuarum rerum imagines, a diligenti Discipulo mul-

multaeque ſpei Adoleſcente ære inciſas, explicantes, Tertiam hanc Partem ipſumque Opuſculum abſolvemus.

Ita, *Auditores*, in priori parte naturalem Hiſtoriam Anatome illuſtrabit: In altera haec Praxi; in ultima naturali Hiſtoriae Praxis inſerviet. Hunc aliis laboribus ſuperaddam meis: Quos ab adoleſcentia, vigiliis & impenſis non parcens, & lucris ac domeſticis curis omnino anteferens, perlubenter ſuſcepi; ut ex Praxi & Anatome veritatem illam pro virili diſquirerem; Quae nimis ſané Facultatem hanc noſtram, ad hanc uſque diem latere viſa eſt, craſſiſque velut nebulis obſita delitescere. O quàm eſſet optandum, ut, qui omnes in Medicarum Rerum Univerſitate docent ſcribuntque medenturque Viri, Studia ſua ad unum aliquando conferrent; & litibus ac controverſiis depoſitis, ſuum opus, Caemẽtariorum ſaltẽ more, uno ſpiritu elaborarent! Hi ſinguli, ut fabricentur, ſuo quiſque loco poſiti, lapides & lateres ordinatis vicibus manibusq; committere atque unanimiter colligare conſueſcunt. O utinã Facultas noſtra ſaeculis omnibus ita factos habuiſſet Artifices! Coepta haec ad mundi initia jactisque fundamentis optimis, ſequentibus tamen aevis nunc erecta, nunc demolita, hactenus, quod dolendum, parum accrevit. Accreſcet Haec

tamen

tamen curis aliquando vestris, *Sodales Amantissimi*, qui hîc in honorem meum sedetis, *Professores optimi*, qui florentissimam, si unquam aliàs, Academiam hanc nostram illustrare pergitis: Eóque ampliùs accrescet; quò majori conatu, Discipuli, qui adestis lectissimique Tirones, hoc tempore, quo amplissimi isti litterarumque amantissimi Moderatores, in suam Vos clientelam recèns excipiunt, omnique cura vestrûm commodis prospicere parati sunt, virtutis & gloriae viam insistere prosequemini. Si id praestabitis, Vos quoque inMedicae Facultatis fabricam,vestrum aliquando lapidem collocaturos esseconfido.

Vobis autem, *Viri Excellentissimi*, ut merita in me vestra significem, quemadmodum hujus orationis exordio, nunc iterum sermonem meum converto: Qui hancdiem, quâ demonstrationes anatomicas publicé aggressurus, ex hoc loco praefari soleo, ita praesentiâ vestrâ exornare voluistis;ut tanto hoc vestrûm omniumConventu,non solúm me cumulari honore & perfundi,sed recreari plurimùm, quinimo incitari & accendi persentiam. SUMMA enim MENS illa, quae Vos ad hanc SEDEM apposuit, & in Officiorum vestrorum dignitate velut transpicitur, mihi, curis ac aetate labenti, vires animosque revocare videtur. Dicebam.

PARS PRIMA

NATURALIS GENERATIO.


Umana germina, diſtinctis ovis, ſingulari ordine in feminarum *Ovariis* incluſa, prima, a rerum initio, ſuarum partium ſtamina conſequuta ſunt. Haec ſtamina, per communium indè generationum proceſſus & ſeries magis magiſque evoluta explicataque, tandem per ſibi inditam ſpecialem generationem ſingulatim commota, & ad perfectam explicationem atque accretionem aliquando diſpoſita, primùm in *embryones*, deindè in foetus, poſtea in natos homines evadunt. Sed haec ſingularis generatio, quae etiam *foecundatio* dicitur, in humana ova atque germina, ſeu ſemina, haudquaquam recipitur, niſi haec priùs ad maturitatem pervenerint. Maturitas eſt ovorum & germinum ad certam magnitudinem evolutio & accretio: quas quidem, cum per alibilium laticum acceſſiones & confluxus fieri oporteat, jam in primo illo ovorum *geſtationis* loco, ſeu *ovario*, *umbilicalia* ſeu alibilia vaſa praeſtò ſunt; & eorum radices & radicum congeries, quae *placenta* dicitur. *Placentae* vaſa ovis

Humana Ova atque germina ante omnes generationes jam ſunt.

ſubſtrata, ſeu alteri eorum hemiſphaerio extrinſecùs coalita, alibiles calicum ſuccos ovo atque *embryoni* communicant: calices enim, ſeu *ovatiorum* ſinus & alvei, ova continent: Hi ſucciferis vaſis referti ſunt: Haec vaſa cum *umbilicalibus* conveniunt. Sed de iis infra. Ità caeterùm conſtituta ova, ſuiſque binis tunicis, ſeu *chorio* & *amnio* inſtructa, in omnium, quae adoleverint, mulierum *ovariis*, in virginibus, nuptis, foecundis, ſterilibus, non gravidis & dudum gravidis, & iis, quae recèns conceperint, ad uſque maturam aetatem liquore plena continuè perſpicua ſunt: Quae in vetulis, abſumpto humore, areſcunt & corrugantur.

Gradatim indè maturiſcunt, maturaque foecundantur.

Ova ex initiis magnitudine differunt: Neque igitur ſimul omnia ad maturitatem perveniunt. Ita ſtato tempore in animalibus nunc plura matura ova ſunt, nunc pauciora, nunc nulla: Matura in *oviparis*, ex *ovarii* folliculis, ſeu calicibus, in uterum ſpontè decidunt: Matura in *viviparis* ad decidendum ſunt quidem diſpoſita & promta; neque tamen decidunt, donec a maris geniturae effluvio, novos quoſdam ſuſcipiant motus. Quum ea igitur ſolùm ova atque germina a genitura moveantur, quae matura ſunt; & ova atque germina non ſimul omnia,

ſed

ſed alia poſt alia matureſcant; *Multipara* ideò bruta,ſi brevi poſt partum denuò praegnantia evadant, pauciores foetus plerumque concipiunt; ſi tardiùs, numeroſiores. Atque maturitas ovorum & ſeminum,& ad ſingulares motus eadem excitantis ſubſtantiae introductio & afflatus, tantae in viventibus omnibus ad abſolvendos conceptus neceſſitudinis ſunt, ut vel in ipſarum plantarum floribus, niſi quidam ſubtiliſſimus pulvis, apicibus tamquam teſticulis per ſtamina firmatis inditus, per piſtillum ſeu *oviductum* perveniat ad matura jam ſemina, in ovis ſuique generis utero ſeu *ovario*, ad *oviductus* baſim aperto, degentia, iiſque geniturae motus inſerat, haec quidem infoecunda remaneant.Ita in omnibus *vegetabilibus*, pulvis, apices, ſtamina, quae ad ſingulos flores data ſunt, maris officia praeſtant: *Oviductus*, appenſus uterus ſeu *ovarium*, comprehenſaque ova atque ſemina, velut femineae ſunt partes.

Foecundata ocpi dò in uterum delabuntur.

Jamque matura ova, poſtmodùm foecunda facta, ſeu in perniciſſimos motus concita,ſubitam in ſuis partibus impenſamque explicationem intendunt; ut in tantam brevi molem atque vim augeantur; quâ quidem paulò poſt conceptionem ſuos aperire calices, expediri ab iis

& erumpere, diductoque ovarii involucro appositam obtentamque tubam penetrare valeant: Velut matura sylvestris cucumeris germina a propè admotae manus calore in subitos aptosque motus concita, apertis statim calicibus strenuè foras velut ejaculata erumpunt. Nam quod in *vegetabili* hoc ovo per subitam a manus halitu excitatam liquidorum *rarefactionem* fit, ut inflatum tensumque ovum eam sibi comparet vim, quam nos, nucleo cerasi, per pressionem digitorum ejaculantes, induceremus; id ipsum ex influxo genitali effluvio primùm in humano ovo praestari videtur. Copiosus *amnii* liquor oppidò in ovo rarescit: Undè tam subitus ovi tumor tantusque nisus exoritur. Jacens enim in ovo & liquore, foetus corpusculum, & ovi ambitu centies fortasse minus, ità, subitòque expandi non posset, ut liquidum & ovum premendo inflare valeret. Transgressa in uteri caveam foecundata eruptaque humana semina, suorum *umbilicalium* vasorum examen, seu *placentam*, eorumque liberos, & hiantes apices uteri *sinulis* porrigunt nectuntque. Ita *umbilicalia* vasa humanis *embryonibus* externa sunt, ut patulo semper ore succos haurire valeant: Ita quoque in caeteris viventibus sunt disposita: Nam licèt in plantis & *oviparis*

paris animantibus ſub ovi cortice recondi videantur; in illis tamen, germini, ſeminalibus foliis interpoſito, exteriora pariter ſunt; quae primùm alentes latices ex iis foliis excipiunt; poſtea in radices evadunt: In *oviparis* verò, vel inſectis, vel aquatilibus, vel etiam quadrupedibus, *embryoni* exteriora quoque ſunt: In *oviparis* volatilibus, quorum ovis, vitellus & albumina inſunt, vaſa haec a cicatricula ſeu *embryone* foras edita, ad vitellum & albumina, ipſumque *chorium* protenduntur. Tum verò in volatilium genere ſanguineis *umbilicalibus* vaſis membraneus tubus additur; quo ſuccus vitellum ambiens, indeque & vitellus ipſe, in pulli ventrem devehantur. Quidpiam inſtar hujus tubi, immo inſtar infundibuli, ſanguiferis vaſis adjecti, in latis *umbilicalibus* tenellorum humanorum foetuum faſciis nobis interdum apparuiſſe viſum eſt. Tanta equidem, quae in humano ovo primis *geſtationis* temporibus liquoris copia redundat, non a ſolis venoſis, ſed a pluribus ſanè rivis, fortè & a raris tunc poris *chorii*, inſtar ſeminis in humidiori uberiorique terra breviſſimè tumeſcentis, invehenda eſſe videtur. Haec igitur *immiſſaria* foetus non tantùm ab utero uberes ſuccos hauriunt, quibus exiliſſi-

ma germinis ſtamina magis magiſque explicari, & in perſpicuum *embryonem* accreſcere contingat; ſed novos inprimis vitales motus ſuſcipiunt. Namque ut in *oviparis* ab exteriori, ita in *viviparis* animalibus ab interno, ſeu uterino incubatu commotus atque excitatus ille idem liquor in *umbilicalibus embryonis* vaſis antea jam degens noviterque confluens, novos hoſce ſuſceptos motus ex iis canalibus ad interiores alios continuos, contentoſque pellucidos antea ſuccos, ita tranſmittit & propagat; ut ruber ſeu ſanguineus ex iis novis motibus exortus color, atque in iis *umbilicalibus* ſuccis incoeptus, ad alios poſtmodum interiores liquores quoque penetrans, jam ad vaſa, atque liquida cum cordis caveis communicantia perveniat. Devento jam ad cordis bullulam ſanguine, haec ſtatim micat, ſeu ſaliens, ut ajunt, punctum fit; ſeu corculi motus incipit; & *embryonis* completur vita; & purpurei jam laticis, ſeu ſanguinis, trajectio per corculum, & a corculo propulſio, & a propulſione progreſſio per partes, redituſque a partibus inchoantur. Porrò in hoc rerum puncto *embryo* in foetum evadit: ſimulque *umbilicale* vas largiores ſuccos ex *chalazis*, & albuminibus in *oviparis*; tum verò ex *coty-*

cotyledonibus, *placentis*, uteriſque in *viviparis*, ad foetum importans, ejus partibus copias & incrementa, ſimulque vires atque firmiores ſedes conciliat: Hinc liquorum circuli, miſturae, ſecretiones aliaeque vitales res.

Embryone in foetum faceſſente jam quaedam partes vix antea membranaceae, varios firmitatis gradus conſequuntur: Nonnullae citiùs in oſſa indureſcunt; ut quae ad *ſpinam*, ad *pelvim*, aut medios majores articulos, aut *tympani* cavitatem ſunt: Lentiùs procedentes aliae, priùs cartilagines ſunt, antequam oſſa fiant; ut oſſa *cranii*, extremitates artuum, *apophyſes* plurimae, atque *epiphyſes* omnes. Haec ſanè omnia obtinentur per rectè inſtructam a matre in foetum liquorum undequaque affluentiam; quibus quidem extentae ejus partes, ſimulque pleniores ac propiores praeſtitae, alios contactuum modos ſuſcipiunt. *Humani foetus alibiles ſucci.*

Foetum non ali materno ſanguine; ſeu propriè ſanguineum liquidum a matre ad *placentam*, & a *placenta* ad foetum pro ejus nutricatu non convehi; ſed *chylum* ſolummodo, aut nutritium a *chylo* ſuccum; probè elaboratum cum refluo foetus ſanguine immiſceri in *placenta* & transferri, liquidò conſtare videtur: Primùm ex inſpectis a diligentioribus Viris in praegnantium utero

ro, albis innumeris ſeu tanquam *chyliferis* vaſis: Secundò ex celebri Plurium obſervatione in gravidis canibus, per repetitas ſanguinis detractiones, exanguibus paulatim redditis; ideoque tandem demortuis; quarum geſtati ſoetus debito adhuc ſanguine referti ſaturique deprehendebantur: Tertiò ex perſpecta *placenta* lacteis liquoribus redundante, eoſque immo largè effundente (*a*): Quartò ex accretione *placentae* aliarumque *ſecundinarum* in molis, cum decreſcente deſtructoque, immo penitus conſumpto foetu: ſi enim lactea ſeu nutritia uteri peculiaria vaſa cum his partibus non immediatè communicarent, ſanguis matris per *umbilicales* venas ad foetum ire, & a foetu per arterias in *ſecundinas* pro earum alimonia redire creditus, his poſtea vaſis per foetus necem a proprio officio ſublatis, neque hunc circulum, neque harum partium nutricationem ſervare in circulo poſſet. Demum ſucci ab utero ad *placentam* non rectà, ſeu per una aut ſaltem continua, ſed per diverſa & tantùm contigua, poris dumtaxat communicantia vaſa, ideſt per coli aut incerniculi, uno verbo, per ſecretionis rationem traijciuntur. Neque igitur per vias, quibus

(a) *Vid. in Anatom. Obſervat. Hiſtor. Reg. Scient. Pariſ. Acad. ann. MDCCXIV.*

bus ſecretio fit, purus & integer, ſeu non ſecretus ſanguis traduci poteſt. Liquores in *umbilicales* arterias injecti, per *placentae* ſubſtantiam in *umbilicalem* venam continuò referuntur. Ergo vaſa foetus, maternis vaſis per *anaſtomoſin* juncta non ſunt, ut matris ſanguinem in eum devehant: Nec inſuper quidpiam ſanguinis a foetu ad matrem revertitur; cum haec reverſio non niſi novâ ſecretionis operâ, ſeu, ut ajunt, *infiltratione* haberi queat: Nec matris & foetus communis ſanguinis circuitus eſt; ſed, ut in *oviparis* fit, cuique ſuus, propriarum partium confiniis circumſcribitur. In Equa, Sue feminâ, Apro, Cane marino aliiſque brutis, *ſecundinae* diu antè maturum foetum matrici nexae non ſunt. *Placenta* in iis animantibus valde ſubtilis eſt, diſperſaque in minutula, diu plerùmque inſenſilia, tubercula; quae ſolùm poſtremis geſtationis menſibus accreta atque ampliata, nectuntur cum utero, & ſenſibilia fiunt. Viperae & Torpedinis foetus neque *placentam* gerunt, neque cum utero videntur connecti: In iis itaque animantibus, aut ſerò aut nunquam, matrum & foetuum *immediata* per uterum communio eſt. Atque commercia ſuccorum in uteris & foetibus, per omne animantium genus, analoga ſunt. Aliiſque obſer-

obſervationibus & rationibus confirmari res poteſt. Porrò effuſio ſanguinis in partu, non a ſanguineorum vaſorum uteri, cum *placenta* communicantium, diſruptione; ſed a ſola uteri robuſta contractione, indèque in *vaginam* expreſſione alicujus contenti ſanguinis partis aeſtimanda eſt. Ita interdum in partu nullus exit ſanguis, uterò ſcilicet non ſtatim conſtricto, aut non ita ſatis conſtricto, ut ſanguinis, quem in circuli vaſa premit, partem quoque aliquam in ſuam caveam exprimat: Exit indè in puerperii *lochiorumque* progreſſu per ipſamet menſtruorum vaſa, ab excitatis aliquando ſolitis validiſque hujus organi corrugationibus expreſſus. Quod autem ad faciem *placentae*, quae uterum reſpicit, membrana aut membranaceus reticulus ſupertenſus ſit, aut nihil etiam horumce ſit, perindè eſſe videtur: Neque enim membranae defectus, liberum magis ſanguinis, quàm *chyloſi* ſucci trajectum probat. Accedit obſervata a Littrio (*b*) in falſo germine (immò potiùs molâ) *placenta* ultra modum accreta: Et quum ad foetum, in quaſdam veſiculas evaſum & conſumptum, primò parùm, deinde nihil nutritii a Matre ſuſcepti ſucci, *placenta* tranſ-

mitteret

(b) *In Hiſtor. Reg. Scient. Pariſ. Acad. ad ann. MDCCXV.*

mitteret, hoc ipſo ſucco, qui erat omninò lacteus, tota diffluens reperiebatur: *Favet id* (adijcit Cl. Auctor) *iis, qui ſtatuunt, in homine, ut in pluribus animantium generibus* (*ubi res ultra omne dubium eſt poſita*) *lac & non ſanguinem a Matre in foetum tranſmitti, ſanguinis ſaltem lacteam atque albam ſubſtantiam*. Porrò lacteae, non ſanguineae ſubſtantiae tranſmiſſio in ruminantibus cunctis, tum in Cuniculis, Leporibus, Indicis Porcellis, aliiſque, luce clarior eſt. Sed obſervatio D. Merj (*c*) „ quòd foetu ab utero egreſſo, & *umbilicali* funiculo caeſo, ſed non ligato, „ *placentâque* uteri fundo adhuc nexâ, per „ *umbilicalem* venam ſex propè librae ſanguinis cum maximo matris diſcrimine effluxerint; dum *placenta* unam prope libram vix pendet „ alicujus momenti eſt: Ita & alia ab eodem Viro perlata „ „ Mulieris maturè praegnantis, & caſu „ ſubitò extinctae, in cujus cadavere ventris cavitas ſanguine plena, ſanguinea „ verò ſua, tùm foetus unà perempti, vaſa omninò vacua deprehenſa fuerint: „ Sanâ atque adhuc connexâ *placentâ*, „ nulloque ad uterum effuſo ſanguine „ (*d*) & quod ab ipſomet Auctore adijcitur

ſuper

(c) *In eadem. Hiſt. ad ann. MDCCXIV.*

(d) *In eadem Hiſt. ann. MDCCVIII.*

ſuper hac re in caſu foetus ſinè corde nati (*e*). Plures intereà harumce obſervationum circumſtantiae ſupereſſent perpendendae illuſtrandaeque. Porrò ſuper hac re graviorem fortaſsè obſervationem memorare lubet. Vegeta quaedam & juvenis femina toto *geſtationis* tempore tantam eandemque perpetuam ab utero haemorrhagiam paſſa fuerat, ut calculus factus ſit, 150. libras ſanguinis toto hoc tempore perdidiſſe: Peperit tamen feliciter: & vix mediocribus expletis *lochiis* haemorrhagia quaelibet evanuit: Mulierque in optimam valetudinem rediit. ConſultiPeriti aliqui, arbitrati ſunt, *placentae* partem ab uteri annexu toto graviditatis tempore fuiſſe disjunctam: Alii verò ſolidiora ſuper hac re, alio loco indicanda, cogitarunt. Nam poſtquam Cel. Ruyſchius villoſam tunicam, *chorii* propaginem demonſtraverit, *placentae* latus utero obverſum obducentem (quâ quidem integer trajici cruor non poſſet)(*f*) ſubijcit:
„ longè itaque a veritate recedit, quod di-
„ xerint olim Anatomici: Vaſa ſanguinea
„ placentae, inoſculari vaſis ſanguineis ute-
„ rinis „

Hiſto in cruentae Taurinenſis Graviditatis.

Interea in humano foetu per unam, ſeu *umbilicalem* viam ad *geſtationis* initium progreſ-

In foetu ſunt & operantur partes, in nato

(e) *In eadem Hiſtor. ann. MDCCXX.*
(f) *In Theſaur. Anatom. V.*

gressumque enutrito, res placidè videntur incedere. Vacuus & collapsus cibarius canalis minimam abdominis partem occupat; potissimam tenent hepar, atque succenturiati renes: hepar alibiles succos ab *umbilicali* vena per portae venam hauriens, alteram eorum, eamdemque potissimam partem citiùs per venosi tubi diverticulum, minorem alteram tardiùs per priùs inductum in tota sua substantia circuitum, ad communem humanorum liquorum alveum, seu cavam venam propellit: renes succenturiati *urinariae* propriorum renum secretioni, opportunam diverticuli rationem praestant. Porrò succenturiati renes in humano foetu amplissimi, & ad ostia propriorum renum, quos amplectuntur suoque velut in sinu recondunt, appositi, largissimam sanguinis copiam, aut ab *emulgentibus* ipsis arteriis, aut ab ipso ibidem sito *aortae* trunco, excipientes, in caussa sunt, cur minor hujus liquidi in renes propriè dictos sit fluxus, & in iis ideò minor urinae secretio celebretur: Cujus major secretio plura in humano foetu, *allantoidis* experte, intulisset incommoda. Quamobrem sicut in nato homine proprii renes, priùs in foetu valdè exiles & succenturiatis renibus plerumque minores, semper indè crescunt adusque debitam comparatam magnitudinem: Ita

indè adultoque otiosae, aut nullae.

succen-

ſuccenturiati renes in nato homine, officio functi, a propriorum renum complexu paulatim ſecedentes, ſemper videntur decreſcere. Praeterea in foetu quidquid ex jecore bilioſi ſucci, aut craſſioris ſalivarii liquidi in *pancreate* aliiſque cibariae fiſtulae ſalivoſis glandulis, tum quidquid pariter mucoſae ſubſtantiae in ſtatis ejuſdem tubi incerniculis ſecernitur, neque excernitur, ſed coercetur, & cumulatur, & immiſcetur; demum quidquid faeculentum fit ex oris nutricatu, quem foetus poſtremis menſibus ſuſcipit, & ſub communi *meconii* nomine in inteſtinis redundat, id certè omne, ne per anum exeat, *amniique* liquorem conſpurcando, alibilis hujus ſucci conditionem laedat, ad *inteſtinale* diverticulum, ſive caeci inteſtini appendicem *vermiformem* dictam, quae ſanè in foetu
Fig. XVIII. maxima eſt, & inteſtini tenuis amplitudinem aequat, tamquam in communem cloacam pedetentim deponitur, coacervatur reſervaturque. Hoc ideo in foetu diverticulum, immò ſingulare excipulum, non tantùm iis ſcoriis refertum ac turgens deprehenditur (quod quidem poſt natum hominem haudquaquam ſpectatur); ſed pro commodiori receptaculi officio dupliciter circa *Ileum* inteſtinum plerumque inflexum, totidem ideo commodioribus ſinibus

nibus

nibus ac velut diſtinctis excipulis inſtruitur. Adhaec, ut delapſarum in dictam appendicem faecum ſuſtentetur pondus, coli inteſtini ligamenta ad hanc partem deſinunt & coeunt, eamque inſtar cingulorum muniunt, ac velut *ſuſpenſoria* ſuffulciunt. Praetarea caecum inteſtinum in foetu breviſſimum eſt, & ſecùs ac in nato inſtructum: Tota enim ejus figura ad *vermiformem* implendum proceſſum facta eſſe videtur: quae ſcilicet ad modum amplioris infundibuli, in eum ſe aperientis atque deonerantis concinnata eſt. Urina a renibus in veſicam fluens (quae tamen, ut diximus, ſat modica eſt) per apertum in hoc excipulo ſingulare aliud diverticulum, ſeu *urachum*, videtur leniter & paulatim traiici in ſpongioſo-*cellularem*, *umbilicali* funiculo implexam ſubſtantiam; & ex hac per placentam aduſque maternos ſuccos convehi; ut horum ductu per maternos tandem renes unà cum materno lotio eliminari queat. Ita *urachi* cavitas, quae in natis adultiſque perſaepè adhuc ſpectatur, in humano foetu ſemper conſpicua eſt: adiuvatque lotii per hunc canalem trajectionem, alia in foetu, quàm in nato adultoque, *urinariae* veſicae poſitio: In illo enim longioris figurae veſica eſt, atque ad umbilicum directior & propior. In foetus pecto-

re,

re, inanibus, flaccidis atque in ſe replicatis pulmonibus, princeps thymo locus eſt: Quae nempe non ſubactos, aut non ſatis ſubactos, in primae digeſtionis viſceribus nutritios ſuccos, poſtremis praeſertim graviditatis menſibus, colligens ſervanſque, & forte propriis momentis indè ſubigens, ab ingreſſu in ſanguinem nonnihil retardare videtur. Thymum enim in foetu, novum non tantùm *chyli*, ſed & *meſentericae* & *pancreaticae* ſubtilioris lymphae, fortè & *inteſtinalium* ſpecialium ſuccorum diverticulum, immo ſuperadditum excipulum eſſe, veriſimile arbitror. In *galaxiam* foetus, quae quidem libera, & patula ſervanda eſt, fluere latices neceſſe eſt: Non tamen oppidò cum ſanguine commiſceri debent ſucci omnes, qui *galaxiam* introeunt: quoniam in foetu, qui non reſpirat, haberi juſta illa & vitalis omnium ſuccorum cum ſanguine miſtura non poſſet, quae in pulmonibus & reſpiratione praeſtatur: Idcircò Thymus, *galaxiae* ſummitati appoſita, ſuccos crudiores recipit, ſtatoque tempore retinet ſervatque. Ita in recens natis, neque adhuc lactatis, neque aliter paſtis, a Graaſio limpidi humoris copia, & a Bartholino, Munickio, Aliiſque plurimis, lactis redundatio in Thymo reperta eſt. In nato verò homine Thymus inſtar aliorum

foetus

foetus diverticulorum decrescit, & inutilis omnino pars praestita, velut contemptim a respirantibus pulmonibus calcatur & extenuatur; ut in adultis plerùmque omnino absumptus, nec propria vestigia servaverit (*g*). Rursus sanguis in Thorace foetus, ab altera in alteram auriculam, & a majori in majorem arteriam per bina adhuc alia, iisque partibus intermedia diverticula, sive *ovale* foramen atque *arterialem* tubum, levi unda progreditur. Ita foetus, diverticulis istis & promtuariis, ceu providissimis subsidiis levatus & subventus, dempto omni animalis oeconomiae discrimine, tranquillè degere, suaque in accrementa ire suaviter, aliquandiù videtur.

Nutritio foetus prius per umbilicalia *vasa, deindè etiam per os celebratur: Undè potissima partus causa.*

Quum verò vires gradatim acquirat, aptiorque fiat ad externos quoque motus, quos quidem suo in *amnii* liquore positu comodiores habet, sibique suarum partium obstrictus in dies molestus sit, istas naturali instinctu extendere nititur: In hoc crebriter suscepto nisu, capite a dimotorum extensorumque genuum, brachiorum & manuum fulcimentis elabente, & ob suam, prae caeteris partibus, impensam molem & gravitatem necessariò in uteri inferiora decidente, tota foetus mutatur positio; ejusdemque, inverso devolutoque corpore, inferiores artus ad pristinum

(g) *Vid. Thes. nostr. de Visc. Fabr.*

capitis locum aſcendere neceſſum eſt. Rurſùs denſitate ſemper increſcens *placenta*, ſpatia foetus & liquoris *amnios* coarctare pergit. Quare foetus in dies adauctus & grandeſcens, ſuâque mole in majorem praeſtandam uteri cavitatem urgens, eòque magis intermedium, in quo velut innatat, *amnii* liquorem ſtringens & premens, in cauſſa ipſe eſt, ut ad ſummum conſtrictus, & ubique truſus atque coactus hic liquor, vel in ejus oris caveam aliquandò irrumpat: & mox ab ore in *pharyngem*, a *pharynge* in *oeſophagum*, & ab *oeſophago* in ventriculum ſibi viam ſternat, & liquidi motu perfluat: Ita in natis foetibus, vel non natis ſed maturis & ab utero extractis, has tubi cibarii partes jam ſucco iſtiuſmodi imbutas, immò redundantes reperimus. Quamobrem adultus foetus jam duplici, ſeu per os & umbilicum, nutritione perfruens, ſuccis impensè ſcatet & viribus. Neque ad tam promtè cumulatam, & gravem ſuccorum minuendam plenitudinem ſuccenturiatorum renum, thymique diverticula ſat eſſe poſſunt. Jam ergo moles & unda totius ſanguinis ſollicitat magis, aperitque *pulmonicas* vias. Redundat novis ſubſtantiis, tumetque ventriculus: Inteſtina tument, novâque excrementorum mole ita

gra-

gravantur, ut, quum appenſum diverticulum, ſeu *vermiformis* appendix, hoſpitandis iis omnibus non ſit ſatis, ſuas quoque moleſtias ab eorum mole, pondere, acrimonia jam perferant. *Galaxia* tumet, tumentque vaſa omnia, tantoque ſuccorum gurgite proprii jam renes, & veſica tument. Foetus anguſto jam nimiùm carcere vexatus & preſſus, gravis, turgidus, inquietus, virium aeris, & motuum corporis indigens, jactat ſe; & trunco & artubus & capite quatitur: Et *ſpinam* ſenſim dirigens, & pedes & brachia in fundi uteri latera novo robore intendens, atque ita extimulans; demum eadem in fortes contractiones, ac propulſiones adigit; undè illa uteri ſe conſtringentis manat vis, potiſſima partus cauſa, ſeu naturalis matricis teneſmus excitatur: Id verò, quum non ſinè violentis ejuſdem ligamentorum, atque cervicis, vaginae, pudendorumque diſtentionibus, & veluti divulſionibus contingat, non poteſt, quin ſecum quoque acerrimos in iis omnibus partibus cruciatus ducat. Sed iis *uterinis* additis, ſuiſque ſimul etiam viribus, ſuum praecipuè ad ima uteri devolutum caput magis magiſque concutiens & impellens foetus, eodemque *ſecundinas* validè premens, eaſque ad cervicis hiatum in formam ampullae, deſcenſo cumulatoque

liquore *amnii* plenae & turgentis , protrudens & elongans , productamque ampullaceam hanc partem attritu demum extenuans & abrumpens , per hanc portam sibi lucem & viam aperit: Et secum involucra , seu tunicas & *placentam* , plerumque trahit . Neque enim tam strenuae *secundinarum* distentiones sinè vi, ad earum adhaesionis punctum , seu *placentam* , inducta , esse potuissent . Atque illa quidem, a maturo foetu ad *placentam* inflicta , postrema concussio est , quâ haec pars suas omnes radicularum *gomphoses* ab uteri alveolis aliquando solvere atque enodare adigatur . Interdum foetus toto *amnio* , aut aliquâ ejus parte a caeteris *secundinis* solutâ, involutus excluditur: atque ita Galeatus vocatur .

In nati foetus partibus quae eveniant

Egressus in liberum aërem , eique illico immersus, velut qui in aquas pectore tenus delabens , iis prementibus ad subitam costarum elevationem cogitur, ab aëris pondere improvisò gravatus & pressus , costas necessariò attollit . Ita pectoris ampliationem , ita ingressum aëris , ita respirationem fieri, necessum est . Itaque vix natus respirat foetus ; & acceptis aëris suppetiis suas partes undequaque urget ac premit ; & mingit ; & deijcit ; & plorat; & ejulat ; & sugit ; liberèque deglutit . Jam-

Jamque per ejus pulmones libetrimus ſanguinis trajectus eſt. Memorata idcirco amittuntur diverticula, & ſingularia excipula. Succenturiati renes & Thymus uſu functi delentur, aut ferme exareſcunt. Et *vermiformis* appendix, quae, ut diximus, tubus amplus fuerat, a contentis & coercitis faecibus extentus, & ſuas ab amplitudine & extenſione ſubtiles, inteſtinorum inſtar gracilium, tunicas gerens, exhauſta jam vacuataque, &, ob apertam expeditamque in foetu deſidendi rem, ſuo munere functa, ſenſim retrahitur; & ab Ilei amplexibus recedens, in dies gracileſcit: ejuſque libera membranea latera naturali contractione denſantur; denſata ad morem denſatarum in caeteris foetus diverticulis tunicarum, atque in ligamenti naturam occaleſcentium, in ſubſtantiam quoque prope *ligamentaceam* dureſcunt: Ad quam quidem habitudinem deventa haec inteſtinorum appendix, in nato adultoque vix non occluditur; nempe vix anguſtam & inutilem cavitatem aſſervat, ſimilem ei, quae in natorum adultorumque *urachis* aduſque umbilicum, aut non longè ab umbilico, plerumque adhuc deprehenditur (*h*). Itaque

(h) *In pluribus Cadaveribus Juvenum, Virorum & Senum ad ſuperiores annos publicè in Anatomico Theatro diſſectis,*

que in nato homine caecum inteſtinum depoſitâ, quam priùs ad ſuam appendicem egerat, infundibuli ratione atque formâ, in longum producitur, ſimulque ad latera retrahitur, & roboratur; ſuoque, quo in appendicem tendebat, valde conſtricto hiatu, proprium jam munus aggreditur: Suâ enim poſitione cum ſaccus, in quem omnes ſuperiorum inteſtinorum faeces decidunt, ſubter eadem appenſus reapſe ſit, opportunus ideò earumdem faecum typus eſt (Gall. *un moule*) quas nempe ex Ileo delabentes, tum verò liquidiores aut molles, inductâ morâ & preſſionibus, humidiori parte exuit: & reſiduo magmati coactam, ſolidiuſculam & in ſe conſiſtentem, longam ſeu rotundatam ac velut columnatam formam concilians, in cauſſa eſt, ut in unum velut corpus compacta figurataque excrementa, uno ſolùm naturaliter ſtimulo, non pluribus, unam, non crebras & incommodas dejectiones, in perfectioribus animalibus, fortè & in omnibus, incitare valeant. Sed haec, quae alio loco tractantur, (*i*) in praeſens non ſunt operae. Demum in nato diverticula caetera, vena & arteriae *umbilicales*, *venoſus* tubus in hepate

praeterquam in tot apertis privatim aliis, patulum adhuc urachum oſtendimus.

(i) *Vid. Theſ. noſtr. de Viſc. Fabr.*

te, *arteriacus* inter aortam & *pulmonicam* arteriam, ovatum inter cordis auriculas foramen, & *urachus* ad umbilicum, clauduntur. Verumtamen *urachum* pervium ſaepius ſervari diximus: & ovatum foramen in pluribus adhuc apertum manet: Undè Urinatorum eſt ratio.

Accretionis leges in foetu.

Dum foetus in utero creſcit, unam eamdemque proportionem conſtanter non ſervat; ſed modò magis, modò minùs augetur, pro ratione incipientis, vel mediae, vel maturae jam graviditatis. A conceptu uſque ad finem primi menſis in ratione adaucta creſcere, ut gravium deſcenſus, videtur. Toto menſe altero uſque ad tertium integrum, augetur tantùm in ratione directa temporis: ut ſi intra biduum duos accrementi gradus acquirat, quatriduo pariter quatuor accepturus ſit. Trimeſtris factus, denuò inaequaliter creſcit uſque ad ſeptimum expletum menſem, & in ratione quidem adaucta; ſed caeteris paribus non aequè ac primo menſe. A ſeptem menſibus uſque ad nonum completum, & ultra, non ampliùs in ratione adaucta, immò, neque in ratione directa, ſed potiùs in ratione imminuta excreſcere videtur: ita ut ſi intrà tres dies incrementum fiat ad duos gradus, ſex diebus tres tantùm gradus vel pauciores addantur: Namque octavo ac

nono menſe, & ſi quid excedat, foetus ad majorem potiùs ſuarum partium firmitatem & robur, quàm ad externam augendam dimenſionem progreditur. Monendum eſt tamen, haec, juxtà Matrum aetates & conſtitutiones, varioſque in eis rerum non naturalium uſus, eadem ſibi ſemper non eſſe. Nunc, ut quae diximus de humani foetus progreſſuum legibus, per exemplaria & imagines, a noſtris ovorum & foetuum Archetypis fideliter diligenterque collectas, illuſtrare ac demonſtrare valeamus, ad ipſa foetuum primordia reverti, & ab iis aduſque eorum complementum per omnes incrementorum gradus procedere, opus eſt.

Quae figuris demonſtrantur. Fig. I. & II. Humanus *embryo*, in ovis vel maturis, ante conceptum inviſibilis eſt: *Optico* tamen vitro perſpectus, ſub quadam incerti obſcurioris corpuſculi ſpecie, immò ſub *Fig. III.* leviſſima velut *ſemilunari* macula, deprehendi, ab aliquibus traditur. Nos verò ab humanis illis *embryonibus* incipiamus, quos ſanè videmus, & curioſè ſervatos demonſtrare cuilibet poſſumus. Humanus igitur *embryo* poſt conceptum patens fit: Nam tertio quartove a conceptu die in ovo, quod ex priori rotunda forma jam ad ovatam accedit, vel nudis oculis inſpectus, *Fig. IV.* in minutiſſimum vermiculum evolutus jam

apparet

apparet. In iis graviditatum exordiis ova in utero, ut priùs erant in *ovariis*, *placentis* suis dimidio adhuc superficiei circumscripta sunt: Quod inferiùs dicemus. Post septem dies a suo in uterum ingressu exploratus in folliculo humanus foetus, ad instar vermis continuè cernitur: Qui nempe major factus, subtilem & levem truncum, levi, longâ & acutâ caudâ exceptum, seu a capite nudum externis partibus, seu sinè ullis artubus valde promissum & tandem acuminatum corpus, ostendit. At vero hic vermis grandiusculum jam caput, distincto collo impositum, exerens, supernis ideo partibus jam humani quidpiam exhibet; & colli interventu capitatus jam truncus est. Rursùs si clariorum rerum solliciti, vermiculum hunc *opticâ* lente speculamur; non tantùm has omnes adauctas partes jucundiùs attingimus; sed in elato capite jam quaedam nobis humanae faciei vestigia obversantur. Porrò si crystallo deposito, & ad ovatum jam foetus folliculum redeuntes, *vasculosam* eleganter *placentam*, folliculo circumdatam, hîc a nobis diligenter anteriùs diductam & quaquaversùs explicatam, contemplamur; tum verò levi principio nata, latè indè diffusa, multoque *placentae* spatio copulata, *umbilicalia* vasa cernimus; singulares quidem

Vid. Fig. I.

Fig. V.

Fig. VI.

Fig. V.

dem res, & Anatomicorum curiositate valde dignas percipimus. Tria namque humano conceptui graviditatis processu, eademque notabilia succedunt: Primum in ovi figura, alterum in *placenta*, tertium in *umbilicali* funiculo.

Ovi habitudo n ovario & in tero: ejusque ost conceptum lterationes.

Ovum in femineis testibus quocunque tempore rotundum est: Cujus hemisphaerium alterum ab imposita instar pilei *placenta*, ejusque superstructis vasculorum fasciculis, opacum, asperum & inaequale est: *Fig. I.* Alterum verò non obductum, sed liberum, ob subtilissimas componentes tunicas leve & pellucidum spectatur. Foecundatum & in uterum delapsum ovum, suâque jam vitâ fruens & crescens, elongatur, & ad ovatam reapse figuram accedit. *Fig. IV.* Uteri cavitas in ovi ingressu angusta est; ut quae scilicet esse solet in non gravidis, neque puerperis, neque aliquâ hujus visceris insolitâ affectione detentis feminis; atque ita angusta, ut vix pisum, aut fabam, admittere valeat: Semper enim haec pars in *constrictionem*, imò ferme in *occlusionem* nititur: introductum ergo aequalis piso magnitudinis, & fortè etiam majoris, foecundatum tumensque ovum uterus non solùm complecti, sed premere, sed elongare debet; immo plus minùs explanare potis est. Ovi igitur hemisphaeriis ad uteri faciem conti-

nuè

nuè compulſis, explanatis & preſſis, quod aſperum ac villoſum eſt, ſeu, quae eidem ab initio nexa & continua eſt, nec unquam ab eodem diſtinguitur, placentam, utero coaleſcere, neinpe ſuos liberos fluctuanteſque *vaſculares* villos, ſeu radiculas, quas quidem priùs in *ovarii* loculis infixas habuerat, nunc in uteri poros infigere, neceſſe eſt. Villoſa enim, leviſſimi muſci ad inſtar, *placentae* ſuperficies a calice ſoluta, tanquam decorticata pars eſt, quae facilè idcirco ad uteri faciem agglutinatur; ovoque indè augeſcente, in ſtricta adhuc uteri latera urgetur & premitur: ut hinc non mutuus tantùm ambarum attactus, ſed inferiùs dicenda connexio praeſtetur. Ovi verò detecta ac levigata pars altera, libera ſinè ullo connexu, ſolum uteri proximum contactum obtinet. Fortè etiam primam oblongae figurae rationem ſuo ad primam tubae ponè fimbrias & tentorium anguſtiam, deinde ad anguſtiſſimum ejuſdem in uteri caveam aditum tranſitu, ovum conſequutum jam fuerat: In iis enim trajectibus ſola tubae *dilatatio* parum eſſe; ovum quoque elongari oportere, videtur. Quid autem miremur, humanum ovum, quod ſi maturum eſt, jam grande eſt, ſi verò foecundum fiat, grandius quoque fit, per plures tamen tubarum anguſtias non difficilè

cilè traiici? Natura in viventibus, & maximè in generationis rebus, aptos ſuos ſubitoſque dilatandi modos habet. Quis crederet, maturum foetum per anguſtiſſimum uteri oſculum tranſire poſſe? Hoc vero ita ſubitò aptèque dilatatur; ut ſinè hujus noxa ille tranſeat. Sed foetus quoque latiores partes, & caput praeſertim, in tranſitu elongantur. Quis igitur non intelliget, ovum ſuo per tubam trajectu produci, aptèque ſubitòque tubam dilatari? Nec certè ita grandium corporum per ita impares anguſtias, niſi alterorum productione, alterarum vero amplificatione, haberi tranſitus poſſent. Quantùm in Gallinis aliiſque inſuper volatilibus, *oviductus* foramen, ſive infundibulum, ſit anguſtum, poſt Graafii aliorumque Anatomicorum icones neminem impraeſentiarùm latere poſſet: nec latere inſuper, quàm pendula in iis animantibus *oviductus* a racemo, ſeu *ovario* diſtantia ſit: Et quantùm Vitellorum maturorum moles major ſit (centies fortaſſe pluſquam muliebrium ovorum) *oviductus* foramine. Vitelli tamen omnes per hujuſce *oviductus* ſemitam in uterum delabuntur. Quadrupedum organa ſi advertimus; in brutis variis & praecipuè majoribus, ut Vaccis, *oviductus* extremum, *ovario* obverſum, pluſquàm in mulieris tu-

ba

ba coarctari, re ipsa, atque, prae aliis Auctoribus, ex memorati Graafii Tabula, ubi utraeque, muliebres & vaccinae, partes appositae sunt (k) oppidò perspicimus. Quàm verò vaccina ova, exilioribus illis osculis, indèque & exilibus *oviductibus* traducenda, majora sunt muliebribus ovis, quae insuper & per ampliora tubarum ora, & per tubarum sinus etiam ampliores, pertranseunt! Sed quid ratiociniis utemur, aut analogias advocabimus, si res ipsa se palam facit? Notissima Historia Celebris Bussiere (*l*) foecundati ovi in suspensa supplicio femina, suo adhuc in itinere inter *ovarium* & tubam inventi, ea, quae tradimus, apertè confirmat atque demonstrat „ Deprehendi (*scribit ille*)
„ tubam dextri lateris versùs extremitatem suam praeter solitum distensam,
„ quòdque ea distentio in maxima sua latitudine complectebatur plusquam pollicem unum in diametro, ac versùs uterum sensim diminuta paulo ultra sesquipollicem procedebat. Ea pars hunc in modum dilatata se incurvabat, totumque fere amplexabatur ovarium, cujus mem-

(k) *De Organ. Muliebr. & in Tab. ab iis deducta Bibl. Anat. Tom.* 1. *quae XX. est*.

(l) *In Epist. Gall. apud Acta Phil. Angl.* 1694. *& latinè redd. apud Act. Lips.*

„ amplius adnexum videbat
„ nus tamen cum illud au
„ adherere adhuc illi depr
„ tiolum ſatis durum, per
„ rebant vaſa ſanguinea, i
„ & etiam ſupra illud diſpe
„ illa vaſa foetus materiam
„ ti ac incrementi recipit,
„ *ovario*, quàm in utero,
„ tiolus ille placentae rudi
„ dubio continet „ Quid ha
lidius, quid opportunius ad
comprobandam firmandamq
quae a Scriptoribus hucuſqu
runt, exempla reperiri poter
obtentam adhuc, ad ovum
apertam, & quòd maximè, ta
portunèque dilatatam: En c
datum, adauctum, atque ab
majori ex parte ſolutum, &

ad ovi menſuram gradatim quoque dilatatur : ſeu continens vas, juxtà contenti corporis creſcentes magnitudines, in omnes quoque partes augetur.

Artificioſus Placentae nexus in Ovario & in utero: ejuſque in utero mutationes.

Ad *placentam* venientes: hanc perpetuam eſſe humanorum ovorum omnium ſociam & partem, eorumque dimidium, in pilei formam extrinſecùs occupare, jam vidimus. Ova in femineis teſtibus, non ſecùs ac glandes in quercuum arboribus, uno ſuo hemiſphaerio calices eleganter inſtructos occupant, altero libera ſunt: Nectuntur autem calicibus *placentae* interventu; quae nempe totum illud hemiſphaerium involuit, quod in calice immerſum eſt. *Vaſculares placentae* radices per *gomphoſim* in alveolis, ſeu areis reticulorum, quos vaſa calicum faciunt, infixae ſunt. Atque hae a calicibus nutritium ſugentes lac, ſtabiles firmaeque remanent, donec ova immatura ſunt: Laxantur verò & vacillant, quum matureſcere ova coeperint: Eademque in fructibus atque ſeminibus plantarum analogia perſpicitur. Solvuntur verò exeuntque ab *ovarii* alveolis *placentae* radices, ſi a foecundi tandem congreſſus opera, ſtrenuè concutiantur. Ita nempe maturorum in infantibus dentium radices, quae priùs firmae & ſtabiles in propriis alveolis erant, & ab iis alibiles ſuccos hauriebant, momento ab iiſdem

dem expediuntur, si laxae jam pridem fuerint; nunc porró fortiter excutiantur. Equidem in universo animali genere *placentas* & dentes, unas illas esse partes inspicimus, quas cum aliis partibus stato tempore necti, statoque solvi, naturaliter expediat. An non igitur nostra inter has partes comparatio appositè cogitata dicenda est? Neque enim radicum *placentae* in *ovarii* aut uteri *sinulos* introductio, quam ipsam *gomphosim*, seu instar dentium connexionis esse dicimus, ad plantarum inoculationem referenda esset, velut olim retulit Cl. Drelincurtius (*m*). Inoculatio enim actio est, firmam, stabilem, perpetuam duorum corporum in unum corpus unionem, non veró temporariam, non mutabilem statoque tempore solvendam, intendens. *Placenta* ejusdem ac totum *ovarium*, seu *vascularis* substantiae est: Utrumque enim corpus in aqua diligenter subactum, aut aliter praeparatum, in eamdem *villoso-vascularem* compaginem facessit. An non igitur dicendi quoque locus est, *ovarium* velut majorem quamdam atque communem *placentam* esse (nisi velis cum pluribus primum ovorum uterum dicere) in quam certo tempore minores plurimae ac singulares *placentulae* propriis radicibus infigantur & crescant

(m) *In Sistem. de hum. foet. Perioch. XXVII.*

crescant; quemadmodum in plantas plurimas aliae infiguntur *plantulae*; suasque radices inserant, & vegetentur & augescant; se se invicem tamen foras ad quoddam tempus pressurae; veluti plures oppidò dentes ad unum alveolum infixi, sese mutuè foras gradatim premunt impelluntque? In comperto illud est, maturas cum ovis *placentas* atque a geniturae effluvio aliquando commotas, suo ab *ovariis* discessu maturescentibus aliis locum facere; missosque calicum nexus cum uteri poris resumere; tum veró quem proprio corpore dimidium ovorum corticem, radicibus autem suis tamquam eorum bulbum & pediculum in *ovarii* alveolis praestaverant, eumdem in uteri cavea corticem, & in uterinis alveolis bulbum & pediculum, ad eadem ova auctosque eorum folliculos praestare. *Placentosum* porró ovi corticem, in Mulieribus ab inditis conceptus motibus pro sua quoque parte in *ovario* explicatum & tumentem, & suo quoque tumore in solutiones a calice conspirantem, tum vascula, *intestinulorum tenuissimorum ad instar, contorta*, ut ait Hejsterus (*) exerentem, id esse putamus, quod sub *lutei & glandulosi*, aut *glandiformis* corporis, ovo substrati, nomine ab Aliis describitur. In gravidis & puerperis, quibus lutea corpora valde esse conspi-

D cua

(*) *Comp. Anat. de part. Genit. Mulier.*

cua scriptum est, nos nihil luteum aut glandulosum, sed solum hoc *placentae* vasorum elegantissimum, plerumque albo-rubescens, examen, ovo cuilibet substratum, hactenus deprehendimus. Num fortè lutea Illorum & glandulosa sunt corpora, mollusci quidam velut adiposi pulvilli, ovis, ne crescendo nimiùm se premerent, interpositi, atque in humidioribus Mulierum *ovariis* non rarò occurrentes? Attamen exiles hi lobuli productaeque striae, ni morbida sint, lutei coloris esse non videntur. Accuratissimi Anatomici, qui castigatis sanè iconibus (*n*) in Vaccarum aliorumque brutorum *ovariis* lutea corpora explicarunt; in muliebribus tamen *ovariis*, quae in ijsdem tabulis designantur & comparantur, nec posuere, nec ponere unquam cogitarunt. Oculatissimus prae aliis omnibus Anatomicis Fridericus Ruyschius substantiam, in muliebrium *ovariorum* calicibus ova ambientem, nunquam luteam, nunquam glandulosam, sed rubram, sed villosam observavit: *Admodum mollis*, ait (*o*) *villosa, rubicunda, sanguinolenta, sicuti videre est in cavitate uteri post foetus exclusionem, ita ut exclusio ovi ex ovario consideranda sit tanquam primus, & ovi partus*: Et inferiùs

(n) *Vid. Graaf. Icones in Tract. mulier. org.*
(o) *Thesaur. Anat. VI. fol. 24.*

riùs ſuum *ovarii* Archetypum deſcribens: *In uno*, addit (*p*) *ex ovariis veſtigium ovi videre licet, ſcilicet ubi ovum eſt expulſum; calix poſt contenti expulſionem obſeſſus eſt materia quadam rubicunda, quam olim inveni villoſam, poſt ovi excluſionem: Hîc autem a liquore occurrit compacta, rubicunda, in cujus medio foramen aut cavitas exigua reperitur, quam Ego habeo pro oſculo cavitatis, ex qua ovi contentum eſt prognatum, quae cavitas, jam denuo contracta, foraminis inſtar nobis occurrit. Pro ovi contento habeo liquorem, qui in ovis continetur, & membranulis, Chorio, & Amnio obducitur.* De quibus ergo muliebribus ovis ſentiendum ſit: an de iis, quae inviſibilia ſedeant in glandulosis luteis, quae certè in Mulieribus non videntur, corporibus: an de aliis, tot modis in hoc opere demonſtratis, quae in quacunque magnitudine, tum veró vel immatura ſint, vel matura, vel foecundata, ante exitum ab *ovario*, in exitu, & poſt exitum, ſemper eadem, & iiſdem ſemper partibus inſtructa praeclarè videntur; Cordatiores Anatomici, quorum mos eſt non credere, ſed videre, ut lubeat, judicabunt. Sed de iis alibi. Atque ad humanam *placentam* redeuntes: Illud utique compertiſſimum quoque eſt, *pla-*

(p) *Eod. Theſaur. fol.* 27.

Vid. Fig. I. & IV.

centam, quae in *ovarii* ſtatione ejuſdem ſemper cum ovi tunicis menſurae & proportionis eſt, diſſimilis ſubinde proportionis in utero fieri: Quamquam aliquandiu, ſeu primis graviditatis diebus, juxta *dilatationis* tunicarum rationem, ipſa etiam ita dilatari videatur, ut quam exilis cupae formam ad minora habuerat ova, ſimilem ad majora, ſed ampliorem, adhuc habeat. *Placentae* vaſa, quum *geſtationis* proceſſu magis ad latera in craſſitiei rationem, quàm in longitudinem augeantur; haec ideo pars paulatim contrahi ſimulque condenſari videtur; donec non ampliùs dimidium *chorii* ſeu ovi hemiſphaerium, ſed minorem in dies circumferentiam occupet: At per gradus in ſe retrahitur atque ſpiſſatur: namque primum poſt menſem ovi ſuperficiei ſolum circiter trientem complectitur: Poſtea a membranis ampliùs creſcentibus magis magiſque reſtringitur & cogitur: ut tandem in minorem quidem ambitum, reſpectu ad accretam membranarum amplitudinem, at verò in denſum ſolidumque corpus orbiculatim colligatur. Quare etſi *placenta* in omnem ſemper rationem accreſcit; cum ejus tamen in latum accretio ſimili membranarum accretione valde minor ſit, decreſcere potiùs videtur. Interea cum accretio *placentae* in denſitatem major

jor

jor, in latitudinem minor; tunicarum verò in denſitatem minor, in latitudinem major, in reciproca ratione ſint; eadem omnium incrementi conditio eſt. Ex iis ergo, quae de *placentae* loco, connexu, fabricâ, officiis, incrementis, in *ovario* & in utero hactenus oſtenſa ſunt, & ulteriùs figuris oſtendentur, mirari ſubit, quòd ii Viri, qui ſe in foetibus *vaſculoſam chorii ſuperductam ſubſtantiam, villis, tamquam radiculis undique dependentibus & fluctuantibus inſtructam*, primos delineaſſe aſſerunt, non dignoverint, ipſam eſſe diffuſam & ſubtilem, fermè velut priùs erat in *ovario*, neque hactenus valde contractam compactamque *placentam*: Miramur inſuper, quòd hanc ſubſtantiam *exteriorem eſſe chorii tunicam* effati ſint: Quum tamen in eorum figuris *umbilicalem* funiculum aduſque eamdem ſubſtantiam perduxerint, & in icone foetus trium, quod ajunt, menſium, ejuſque *ſecundinarum*, nulla alia, praeter hoc villoſum corpus, *placentae* veſtigia deſignaverint (*q*). Quiſquis verò petas genuinam *placentae* habitudinem cum tunicis *amnio* & *chorio*, poſtquam illa graviditatis progreſſu ſuam ſoliditatem compleverit; ſic habeto. *Chorium* internam ſeu concavam *placentae* faciem obtegit: ibidem ſub-

(q) *Vid. inferiùs in explic. Fig. XI. Tab. I.*

ticum lenes motus alto accretoque, funiculi artificio non opus fuerat: Immò plus dilatatae ingerentis vasis distributiones, ex latiori calicis area, tamquam plùs sparsae plantarum radices ex latiori solo, nutritios succos hauriebant. Sensìm verò apparatur funiculus, non tantùm quum foetus jam pulsat cor, sed quum nutricatus atque accretionis negotia majora jam sunt. Neque verò in sola latitudinis, sed quoque in *rectitudinis* ac longitudinis ratione, quòd ad ejus in utero mutationes, perspiciendus *umbilicalis* funiculus est. Hic enim in tenellis foetibus non tantùm rectior, sed quoque brevior est: Ita liquores quàm citissimè in foetus feruntur; praecipuè cum foetuum locales motus nulli adhuc, aut saltem insensiles sint. Dum tempus verò pervenerit, quo foetus omnis se movendi facultatis potiri, neque a brevi funiculo, tamquam ab affixa arctiùs catena, impediri oportet, catenam hujusmodi valde elongari necesse est. Ita *umbilicalium* vasorum complexus, quemadmodum propter expositam causam in funem concinnatur; ita & in omnes suas partes, juxta foetuum incrementa adeptasque vires & motus, magis magisque producitur; productusque, in flexiones & plicas, progressu majores, disponitur: Ad tres circiter *ge-*

stationis

ſtationis menſes, cum brevis adhuc ſit, paucas flexiones ſuſcipit: ulteriùs, cum longior fiat, plures conſequitur: Juxta foetuum motus ſaepè etiam ad eorum colla contorqueri ſolet: Mediâ praegreſsâ graviditate, etiamſi collo implicatus jam ſit, antequam ad *placentam* perveniat, in alios quoque flexus torquetur: Ex iis *umbilicalis* funis plicis & angulis alia fortaſſe utilitas comparatur: Ex iis quippe aliquando redundantes ob magnam *umbilicalis* venae amplitudinem nutritii latices, non ſolùm atteri attenuarique, ſed quoque a nimio in foetum incurſu & inundatione cohiberi poſſunt. Omnia, quae diximus, iconibus repraeſentantur. Nunc ut eò, undè digreſſi fuimus, redeamus.

Incrementa foetuum, iconibus ulteriùs demonſtrata.

Dierum circiter duodecim humanus vermis, inſtar chryſalidum in inſectis, ſuam videtur metamorphoſin incipere. Namque ad latera ſummitatis trunci binae papillae, ſeu puſilla duo tubercula, utrinque unum; duoque pariter, utrinque unum, ad inferiora *caudati* trunci latera prodeunt. Cauda verò jam extenuata ac velut exareſacta eſt, ut vix ampliùs appareat. Quum verò contingit ſexdecim circiter dierum foetus ſpeculari; ſuperiora atque inferiora tubercula in iis acuminatiora praeſtita, ſeu in artuum exordia jam *Fig. VII.* *Fig. VIII.*

producta

producta videntur; trunco praeterea ampliato, deletâ jam caudâ, facieque in humanam vertente. Ita nobis, viginti dierum foetus inspicientibus, jam hi grandiores apparent, cum crescentibus artubus; adhuc tamen in apicem desinentibus, sinè manu
Fig. IX. atque pede; sed inferiori impensè educta mandibula: lumbi non valdè adhuc expansi. Illi verò, qui vigesimum jam quintum diem attigerant, satis majori, ad priorum mensuram comparata, latitudi-
Fig. X. ne & crassitie, cum jam apparentibus lumbis & iliis, deformi quidem adhuc inferiori mandibula, instructi; sed ad mancorum adhuc artuum extrema non solùm manuum & pedum, sed digitorum prima jam vestigia praebentes, se produnt: Atque gradata haec artuum, tamquam radicum, a trunco foetus, eruptio, dentibus iterum comparanda est: Hi vel in ipso adulto foetu, trunci sinè ullis radicibus sunt: Has postmodum paulatim exerunt. Porrò ad hunc XXV. dierum foetum elegans *placenta* in suos *vasculares* villos soluta, nostris in iconibus perspicitur, & a caeteris secundinis expedita; solaque ad foetus connexum relicta: Lunata haec est; seu segmentum semicirculo minus describens; cum a priore suo ambitu retracta jam sit: Huic appellit funiculus seu potiùs fascia *umbilicalis*, latè-
que

que nectitur: quae quidem a foetu ad *placentam* aequalis latitudinis est; tùm verò brevis & recta. Aborsus triginta duorum dierum, nobis non ita pridem oblatus, nostroque in Musaeo, ut Superiores caeterique omnes, servatus, ovum gallinaceo non valdè inferiùs repraesentat: in cujus pellucidis tunicis inclusus transparet accumbens foetus, cum valde adhuc lato & *fasciali* (ut in junioribus iis foetibus plerumque est) *umbilicalium* vasorum ductu, plicis insuper referto, brevi adhuc & recto, sed inaequalis latitudinis; cum mancis adhuc artubus & imperfectis digitis; tum verò distinctis tunicis, eisque appositâ jam valde contractâ *placentâ*; & in insolitos, at elegantes *vasculares* lobos concinnatâ. Singularis in tenello hoc foetu inferior mandibula est; quae nempe vix longitudine deformis, sed ferè naturalis conspicitur: Quod certè in aliis foetibus, qui tribus mensibus minores sunt, plerumque videre non licet. Triginta sex dierum foetus neque adhuc satis elongatos perfectosque artus, manusque & pedes eorumque digitos, porrigit: Ita fermè qui quadraginta dies consequutus erat; ut ut magnitudine superiori major: quem nos, ut & priores atque sequentes aliquos, stantem rectumque in iconibus exhibemus:

Fig. XI.

Fig. XII.

Fig. XIII.

quam-

quamquam in uteri cavea alia eorum positio est. Ita aptiùs eorum dimensiones apparent. Porrò gemellos quinquaginta dierum ad nostras icones adijci curavimus:
Fig. XIV.
in quibus quidem jam grandioribus, artuum, trunci, capitis justam aliquando completamque conformationem & proportionem perspicere est. Accedit indè foetus duorum mensium cum dimidio: ut ejus
Fig. XV.
magnitudinem, tertiâ circiter parte superiorum gemellorum magnitudine majorem, videamus: Hic suam *placentam, umbilicali* funiculo adhuc continuam, ostendit: At verò funiculus non valde elongatus, neque ideo valde flexus erat. Trium postea mensium cum dimidio, & quod excedit, foetus in ea, quam tener in utero,
Fig. XVI.
naturali positione exquisitè repraesentatur; cujus jam longior *umbilicalis* funiculus non tantùm collo, sed aliis quoque partibus inflectitur. Denique foetum in utero matris, subito morbo extinctae, mortuum quoque repertum, dies aliquot ultra mediam graviditatem gestatum, jamque in utero versum, porrigimus: ut genuina foetus cum utero post mutatam positionem habitudo in propatulo sit. Foetus ad majorem claritatem a suis tunicis expeditus
Fig. XVII.
est. Uterus in interno revoluto latere nexam adhuc *placentam* praebet; & foetum proximè

proximè amplectitur. Neque tamen tanta uteri ad contentos foetus accessio, ac fermè ubique contactus, naturalis esse solet. Sed foetu, qui ad oculos est, sub matris vitam vexato, exitumque & abortum fortasse moliente, cum ruptae tunicae, & aquae *amnii* defluxae fuerint, uterus ab iis antea extentus, demptâ effusi liquoris resistentiâ, robustum suum in contractionem naturale momentum egerat; ut, totâ suâ constrictâ cavitate, propior superstiti foetui evaderet: Vas enim istud tantarum in contractionem est virium, ut vel demortuum, & extractum, & impletum, urgeat in implentia corpora; eademque obstringens, adhuc strenuè contrahatur. In hoc foetu, cum *umbilicalis* funiculi longitudo jam mutata sit, grandiores ejus plicae videntur. Neque in aliis ulteriùs depromendis foetibus ex tot tantisque, quos ex omni graviditatum tempore & genere curiosè collegimus atque servamus, brevi hac historia immorari juvat: cum statae tabulae ad naturales eorum omnium, praecipuè maturiorum, imagines habendas, nimis angustae fuissent: Tum verò cujuslibet *gestationis* mensis, aut intermedii temporis, adusque maturitatem & partum proportiones foetuum, quae eorum incrementa & magnitudines respiciunt, ab iis

figuris

ſiguris, atque ab expoſitis creſcendi legibus deducere, proclive ſit. Sed ea, quam in icone oſtendimus, verſio foetus in utero, & capite in cervicem prolapſio, tanti in graviditatibus, immo in ipſa praxi, momenti eſt, ut poſt allatum exemplar, ab hac re,quibuſdam animadverſionibus adhuc exquirenda,abſtinere non liceat. Nam quae dicta ſuperiùs jam fuerant, eam ſatis illuſtraſſe non videntur.

De foetus verſione in utero. Tempus, quo foetus in caput volvitur, cum ab ejus matriſque motibus dependeat, videtur fortuitum incertumque eſſe. Caput, quod caeteris partibus majus & gravius eſſe jam diximus, ſi cum illis aequilibrium amittat, & propenſionis linea, a capite per centrum corporis *perpendiculariter* ad ejus baſim protensa, extra baſim exeat, tunc caput deorſum volvatur, eodemque tempore ſurſum aliae partes, vel ipſis lubricis ambientibus *amnii* aquis juvantibus, ad capitis locum aſcendant, neceſſe eſt. Sed quò motus foetuum accreſcunt, eò majorem operam adhibent ad capitis, naturaliter ad anteriora jam propendentis, inclinationem ad eadem loca ciendam. Itaque inverſionèm hanc, certè ad commodiorem partum a naturae legibus inſtitutam, ab ipſis foetuum vitalibus motibus elicitam, omnino naturalem eſſe dignoſcimus

gnoſcimus. Haec porrò poſt ſatis explicatum foetum, debitèque in ſuas partes completum & extenſum, quolibet menſe accidere poteſt; ex quo foetus acceptis viribus in corporis motus nitatur: Idque Anatomicis inſpectionibus comprobatum eſt: Namque in quibuſdam Mulieribus gravidis, repentè ſublatis, trimeſtris foetus jam in caput deciderat. Quo foetus invertitur momento, ad anteriorem uteri partem valdè protenditur; atque hìc loci velut pendulus, non ſatis, ut par eſt, innititur atque fulcitur: Undè ex quolibet, vel levi, infimi ventris matris incurſu ictuve, tunc foetus mors, vel abortus ſequi poteſt. Ita Hippocrates: *Incipit laborare puer antè partum; & interitus periculum ſubit, quum in utero vertitur* (t). Poſt lapſum caput foetus ſuo pondere adhuc deſcendens, uterinae cervicis alterutram circumferentiam premit, eique, velut baſi, firmiter infigitur: Qua de re ab anteriori parte aliquantum recedens, tutior fit: Neque ex modica vi, ut antea, abortus produci poterit. Si verò foetus ante ſextum menſem non volvatur, ob jam adeptam molem & extenſionem, ab uteri lateribus undequaque conſtrictus, ſuſpenditur & a caſu impeditur: Quapropter foetus iſti vitioſo laborioſoque partu naſ- Fig. XVIII. Lit. C.

cantur

(t) *De octimeſtri Partu.*

cuntur. Peractâ conversione foetus in utero, ejusque capite ad ejus cervicem delapso, hoc certè ab introducto in vaginam uterique osculum peritè digito facilè explorari, quocunque graviditatis tempore posset; nisi osculum propriâ solidâque contractione clausum, versùs anum inflexum, densè rugosum, & tenacissimo insuper glutine obsignatum esset. Reperiuntur tamen dexterrimae manus, quae ita impeditum & incurvum uteri hiatum tenui obtuso, & quâdam formâ instructo specillo, sinè gravi gestantis feminae incommodo superare posse, & foetus, vel tenerioris, caput propè tangentes, de graviditate judicium ferre, pollicentur: Sunt porrò & Maleficae, quibus acuto introducto instrumento, vacuari aquas, abortum edi, immo foetum, matre incolumi, interfici, fama est. Sed maturo foetu atque imminente partu, etiam ante aquarum effluxum, cum jam laxatum, extenuatum dilatatumque matricis os, tum verò jam anteriùs directum & satis a glutine expeditum sit, vel ipsae vulgares obstetrices inducto digito ad caput infantis perveniunt. Quosdam caeterùm novimus, qui in anum explorantes, cujuscumque temporis graviditates palàm facere consueverant.

Quam

Arecentibus & postremis in trico foetus evolutionibus vetustiores in ovariorum serie altioresque comprobantur.

Quam hactenus diximus, prima hominis vita est; ea scilicet, quam in uteri latebris agit: Altera deindè sequitur, dum partu in apertam lucem emergit: Sed utra praestantior sit, vix dicere ausim. Foetus in obscura vita imperfectus adhuc homo est: attamen a naturalium functionum perfectissima, seu generatione, componi in hominem coepit. Natus autem homo aliquandiu quidem perficitur: demùm verò in imperfectissimam pessimamque omnium, moriendi functionem dissolvitur. Atque humana generatio non eò solùm admirabilis est, quòd per subitam evolutionem vitae initia recludat: sed quoque admirabilior, quòd vitam hanc innumeris aliis atque diutinis evolutionibus jamdudùm paraverit. Namque ex ea, quam vidimus in humano germine, vix credibili artuum omnium velut ex nihilo prodita, & celerrima explicatione in crura, brachia, pedes, manus, digitos omnesque partes, an non itidem caeterarum partium evolutiones atque *emersiones*, antequam sensibiles fierent, pedetentim & per tot illos gradus, quot ab ovorum creatione, naturalium rerum exordiis coaeva, adusque eorum completam maturitatem requiruntur, processisse dijudicandum est? Cum verò in puncto, anteà oculis omnibus inacesso, singulae distin-

ctaeque *embryonis* partes reverà fuerint comprehensae; quae tamen deindè tam latè explicantur, conspicuae fiunt, atque in molem amplificari valent; an erit adhuc dubitandi locus, nascendorum hominum ova atque germina, non quidem in generatione construi & formari; sed jamdudùm elaborata, *vegetabilium* adinstar, solummodò explicari & evolvi?

Multae actiones & instrumenta, coitus momento, ad humanam generationem conspirant.

Atque utinam generatio humana neque tantâ partium evolutione, neque tanto actionum, quae momento temporis fiunt, numero admirabilis esset; ne tam crebri in Feminis, falsi infaustique conceptus acciderent! At nimis sanè summa & mirifica sunt, omnemque cogitationem facilè superant, quae generationis momento peraguntur. Omnia mulierum genitalia organa intendi, atque in se retrahi conantur: Uterus per ligamenta rotunda inferiùs ad viriles partes deducitur; simulque lata ligamenta, tanquam proprias aponeuroses, musculosum hoc organum ad se trahit adducitque; & hoc modo ad latera quoque se ipsum suasque appendices retrahit: Latior extrema pars, libera mobilisque tubarum, seu *oviductuum*, qui ad peripheriam centri horum duplicium motuum sunt positi, versùs hoc centrum adducitur; &, ob artificiosam latorum ligamentorum conne-

xionem

xionem, ad tumidiora, seu maturis ovis referta, *ovariorum* loca deflecti, iisque affigi, necessum est. Eodem tempore geniturae virilis effluvium, uteri vaginam, cervicem & fundum, *oviductus*, *ovaria* praeterit; matura ova appellit, foecundat: Quae illicò valde tument; vim faciunt; prodeunt; & per *oviductum*, uterum versùs feruntur (quod susiùs alibi nobis dictum est (*u*)). Haec omnia nonnisi letorum feliciumque complexuum tempore ab innumeris & subtilissimis artificiosarum partium machinamentis praestari intelligimus. Quae cum ita sint, id mulieribus saepissimè, quod minoribus plurium rotarum, aliarumque machinarum ordine, contextis horologiis evenire solet: quorum harmonia eò faciliùs labefactatur, quò subtilior est. Et feliciores in brutis animantibus conceptus & partus succedunt, ob simpliciorem fortassis, quàm in mulieribus, firmioremque genitalium eorum partium structuram.

(u) *In Thes. de novis in genitalibus partibus edit. ann. MDCCXXXVIII.: tum in nostr. human. foet. Tract.*

PARS ALTERA

VITIOSA GENERATIO.

Vitiosarum in Muliere generationum caussae.

EQuidem inter Muliebria Instrumenta, quae in humana generatione, foecundoque amplexu, ab illo motuum & actionum concentu aberrare possunt, *ovaria*, tubaeque primas tenent. Harum enim in primis partium erroribus extra uterum graviditates ita frequentes sunt, ut earum copiam animadvertens Politissimus Scriptor, qui neque Medicus est, Celeberrimus Fontenelius tradiderit: „ Des foetus hors de la „ Matrice ne sont pas aussi rares, qu'il se„ roit a souhaiter „ (x) *Ovaria*, ut ova illa plurima, quae in dies maturescunt & tument, tueri firmiùs, aptiùsque contineре valeant, firmâ & duriusculâ tunicâ instructa sunt: Haec ideo foecundati ovi pressionibus nisibusque interdum non cedens, idque intus retinens, *testiculares* inferre graviditates potis est: & maximè si testes, a laboriosis ac violentis partubus distortiones, contusiones, decorticationes, aut affectionem aliam quamlibet fuerint passi; undè succingens membrana

(x) *In observat. Anat. ad Histor. Reg. Scient. Paris. Acad. ann. MDCCXIV.*

brana durior, & velut callosa sit facta: vel si foecundata ova, prope *ovarii* cum proprio ligamento nexum, fortè sita sint: Hoc enim loco duplicata ab expanso coalitoque ligamento tunica, densior solidiorque est. Sed cum multo major *ventralium*, ut dicunt, quàm aliarum omnium extra uterum graviditatum sit numerus; Tubarum errores *ovariorum* erroribus crebriores esse putandum quoque est. Crebriùs enim ex tubis foecundata ova decidunt, quàm in *ovariis* vitiosè serventur. Faustum equidem feminis, si quae ova a testibus per tubas in uterum progressura fuerant, a tubis succussa, vel aliter delapsa, aut rejecta, ideoque in ventrem cadentia, languida & lubrica maneant; neque alicubi adglutinentur, sed marcescant & pereant: ut ex opposito deploranda sanè calamitas; si vegeta sint, atque obviarum partium tenacia; iisdemque adnata & succreta, in infaustam praegnationem evadant: primum tamen bono Mulierum omine compluries contingit. Namque cum tot facilibus modis ovorum trajectibus deficere humani *oviductus* possint; si quae ex iis ova decidunt, alicubi ventris omnia aut plura conciperent, mihi sanè naturalibus vitiosi crebriores fore conceptus viderentur. Cum

enim in vegetarum bonaeque aetatis Mulierum, utrisque simul testibus 30. 40., imo 50. & ampliùs, ova plerumque deprehendantur; in maturis, neque ampliùs parientibus, multò plures certè, quám foetus fuerint editi, ad testium ambitus cicatrices cum solitorum foraminum vestigiis, & inanibus subter calicibus deprehendantur; in vetulis verò nulla ampliùs plerumque ova sint; Major profectò foecundatorum ovorum numerus cecidisse in ventris caveas, ibidemque periisse; minor, ad foetus, indèque homines efficiendos, transiisse in uterum videtur. Et fortè, ut in plantarum & brutorum, ita & hominum generationibus altum Divinae Providentiae consilium est suspiciendum: Quòd dum eorum omnium *ovaria embryonibus* refertissima sunt, ut nunquam quorumcunque viventium semina deficere possint, eae quoque inductae sint caussae, quae quidem, ne angustus terrarum orbis nimiis viventibus obruatur, multam eorum partem a conceptione subtrahant & impediant.

Vitiosarum graviditatum caussa non infima esse potest, tubae in Mulieribus ab ovario distantia, &

Porrò Mulierum *oviductus*, undè potissima in iis vitiosarum graviditatum est caussa, illius, quod ad *ovarium* & quod ad se, conditionis est, ut vel ovum non excipiens, vel exceptum non traducens,

ab

ab opere suo modis plurimis declinare queat. Primùm enim, quod ejus ad *ovarium* habitudinem spectat, nimia in muliebri genere tubae ab *ovario* distantia & libertas esse videtur. Namque cum haec ad anticas, atque posticas rotundi aut subrotundi *ovariorum* corporis diversas partes & facies admoveri debeat; ut matura in diversis iis sedibus, ac foecundata ova excipere valeat; ad plurimam ejus longitudinis partem ita libera & vaga est; ut non tantùm ab *ovarii* sedibus latiori suo extremo, seu tentorio, valde dissita, in ventris caveam, & adversâ plerumque ad *ovarium* positione ac directione hiet & propendeat, sed cum *ovario* nullis, qui firmi stabilesque sint, alligetur modis. Et sanè in Mulieribus, neque per extremas fimbrias, neque per musculares fibras, neque per alia vincula vagum istud & inconstans *oviductus* orificium cum *ovario* connectitur. Quidam profectò per ligamentum latum dispersus, tubisque & *ovariis* interpositus, nervulorum implexus occurrit: sed quid ad inducendos harum partium in foecundo coitu constantes contactus nerveis illis funiculis tribuendum erit? An nervorum motus muscularium fibrarum potestatibus est par? An arbitrarius esse poterit, seu alicui temporaneae *mobilitas, inconstanti*

contractioni obedire valens? An, vel si propius in nervis motus ad operam excitari posset, hic *nervea* in diversos ordines dispersa fila ad unam, & eamdem directionem adigeret? Quamobrem tubae ad *ovarium* intentio, accessio & contactus, fortuita esse videntur; nimirum tamquam casu praestita a communi genitalium partium in voluptario congressu tensione, atque in se omnium contractione accessioneque. Facilè est igitur, tubam, aut non firmè, aut non rectè satis, debito *ovarii* loco applicari; aut si applicata sit, citiùs removeri atque flecti; antequam debitus in ejus orificium ovi trajectus fiat.

Et ipsius quoque tubae naturalis compositio, & fabrica: tum verò utriusque extremitas.

Sed quamquam ovum excipat tuba, quot insuper difficultates in eadem tuba superandae sunt! Neque enim sola ejus sedis mobilitas & inconstantia, liberae tutaeque ovorum trajectioni obstare potest; sed ejus insignis longitudo, tum praecipuè flexuosa habitudo, inaequalis capacitas, & maximè, valdè strictus & angustus ad ejus versús testes extremum appositus angiportus; strictissima verò angustissimaque minor ejus, seu cum uteri fundo communicans extremitas. Namque, ut irregulares plurimae tubarum cum latorum ligamentorum laminis connexiones; hinc productae in earum

rum caveis curvitates & anguli, totidem ſuperandas ab ovis in tanto tramite anguſtias obijciunt; ita in iis anguſtiarum locis pinguis tubarum muci collecta interdum quantitas denſataque, inſuperabilem aditum facit. Circulus ille velut tendineus, qui poné tubae tentorium, ſeu pelvim, ejus diametrum inſigniter illicò obſtringit, tantae interdum contractionis & reſiſtentiae eſt, ut ova illic perventa, traiici ulteriús non queant; ſed in ventrem neceſſariò decidant. Quid verò dicendum non eſſet de nimis perſaepe lubrico, tentorii intimam faciem ungente latice; ut immiſſa jam ova ad uſque labendi neceſſitatem lubricentur; aut ita glutinoſo, ut ova implicet, & ab ulteriori trajectu vetet; aut de mala hujuſce *tubariae* pelvis atque infundibuli habitudine, quâ quidem haec pars conſtricta nimiúm, aut relaxata, ovis ulteriús urgendis inepta fit? Quid de majori illa ad tubae ingreſſum in uterum anguſtia, praecipué ſi aliquo lenti ſucci congeſtu augeatur? Addite memoratam in tam longo tubarum ductu flexibilitatem liberrimam: Addite internam plurimam tubarum naturalem *rugoſitatem*; quae quidem, ut in inteſtinis fit, ab interna tunica, plurimúm ſuper externam diffuſiori, producitur. Ita

ſi tubae, aut a primordiis, aut per vitium indè aliquod, aut etiam ſuccretum morbum, velut per divulſiones in partu, decorticationes, inflammationes, aut aliam quamlibet affectionem, ad aliquam lati ligamenti partem, praeter naturales connexiones, ſtrictiús ſolidiúsque coaleſcant; aut etiam alicui *ovariorum* lateri ab origine, aut per ſubſequentem morbum adnatae, aut caeterùm (ut ſaepiús aſſolet) *peritonaeo*, omento, imo inteſtinis aliiſue partibus ita implicatae nexaeque ſint, ut foecundi conjugii tempore ad *ovarii* contactum & accubationem accedere, liberèque pervenire non poſſint; ova utique ab *ovariis* egredientia, ab iis non excipientur: ut ideo in ventris caveas delabi neceſſe ſit. Haec verò vitia, vel in alterutra, vel in utraque tuba eſſe poſſunt: ut ideò memorata caſus ovorum diſcrimina, completa, vel incompleta ſint. Hujuſce ſuccretae connexionis tubae cum *ovario* exemplum inferiús in altera Taurinenſis Feminae Hiſtoria videbimus. Hîc veró advertemus, vitioſas utrarumque tubarum habitudines, ſi ad illum obſtructionis gradum pervenerint, quo nihil omnino per eas tranſire queat; aut ad eam cum vicinis partibus implicationem, quâ nullo pacto ad *ovariorum* contactum

acce-

accedere possint ; tunc constantis etiam sterilitatis caussas esse. Quare in naturaliter, aut progressu aetatis, sterilium Mulierum apertionibus saepe visi sunt tubarum tumores; aut ab attiguis tumoribus constantes pressiones; aut aliae a praeviis inflammationibus, aliisve morbis organicae affectiones : stabiles insuper earum distortiones ex laboriosis praehabitis partubus: tum eaedem interiùs omninò arctatae atque coalitae : aut a propriis sedibus luxatae. Potissimùm verò orbicularis laudatus limbus, totius tubae extremum angustans naturaliter & constringens, in utraque tuba coalitus, frequens sterilitatum caussa visus est. Iis accedunt & alia horumce canalium vitia, ad ciendas sterilitates non minùs facientia : velut *spasmosae* tubarum contractiones, aut paralyses, aut ariditates ab irrorantis mucilaginis deffectu ; aut é converso nimia lenti hujus succi copia, aut tenacitas; aut gravis alia depravatio, aut vitiosa positio. Ita in publica hujus anni Academica *Anatome* genitales Mulieris partes ostendimus ; quarum tubae non tantùm latis in ligamentis velut sepultae erant fortiterque coalitae ; sed earum latiora extrema adeò ad mediam ipsam uteri fundi externam faciem fuerant omninò infle-
xa

xa, ſuaſque ibidem fimbrias atque tentoria alligaverant; ut difficillimè disjungi potuerint. Et ſanè haec Mulier, ut ut de venerea re benemerita, nunquam conceperat. Quapropter ex iis, quae occurrunt, organicis in tubarum cavea & connexibus, praeterquam in vagina uterique oſculo, fundo aut ſubſtantia, ſterilitatis cauſſis, inferre juvat; virilis geniturae effluvium rectà per uterum & tubas ad *ovaria*, ovaque in iis contenta foecundandaque ferri. Nam ſi a pudendis & vaginâ, per univerſi circuitus vias primùm in ſanguinem, deinde in *ovaria* conveheretur genitalis hic halitus; memorata quaelibet tubarum vitia non quidem ſterilitatis, ſed *ventralium* dumtaxat, aliorumve vitioſorum conceptuum cauſſae eſſe poſſent.

Intemperantiae utriuſque humani ſexus, ad vitioſas quoque graviditates cōtribuere valent

Attamen dum vitiatarum muliebrium generationum cauſſas, praecipuè in tubarum erroribus inquirimus, an non quidpiam fortè jacturarum, quae ovis adveniunt, aliarumque eorum calamitatum, ipſis in coitu intemperantiis hominum tribuere datum eſſet? Nam facite, quòd uno efficaci congreſſu maturum ovum foecundatum, commotum inflatumque, atque ad egreſſum ab *ovario* promtè excitatum ſit; & tuba ad *ovarium* intenta, ſuiſque

apertis

apertis Productisque fimbriis, tamquam totidem praetentis digitis imò potiùs manibus, adversùs ovum, in *ovario* tamdiù gestatum, jamque nitens in partum, solemnem primae obstetricis operam jam aggrediatur: Tum verò alius intempestivè succrescat fervescens congressus; qui protinus spermaticas partes in alios concitans motus, ligamenta uteri quatiat, hinc cum caeterispartibus liberiorem tubam inprimis concutiens, a suscepto super *ovarium* sui generis incubatu dimoveat atque deflectat, rigidiorem denuo praestando; an non de maximo ovorum, tubam jam ineuntium, discrimine cogitabitis? An non proclive erit inferre, tubam, quo momento a priùs assumta ad firmum cum *ovario* contactum curvitate erigi jam debet, ut suscepto ovo rectum indè aptumque, per inclinatum velut planum, iter apparet, denuò potiùs incurvari; hinc ovum ab inito itinere succutere, semovere, deturbare, imò ità facilè emovere; ut quo promtu ova ab *ovariis* in tubae infundibulum transierant, eodem quoque, aut a teste, aut a tuba ipsa, in ventrem delabantur? Equidem id saltem brutis omnibus commune propriumque est, ut haec foecundum coitum aliquando habitum, repetitis statim aliis non interturbent & perdant. An non inter vitiosarum gravi-

ditatum

mè rectà apponitur, atque servatur: tum veró *oviductus*, vel propriis membraneis productionibus, vel musculosâ substantiâ, vel etiam *ligamentaceâ*, proximé cum ipso *ovario* connectitur. In volucrum genere, quamquam *oviductus* foramen, seu contractus limbus, a racemo, seu *ovario*, plurimùm distet, & valde liber sit; ut nempe ad omnes, & singulas ejusdem satis expansas partes, pro latè diffusis excipiendis ovis, aptiùs moveri atque expatiari queat; suâ tamen latissimâ productione, quae imó ejus motus dirigat, cum ipso quoque *ovario* firmè coalescit: ejus veró post foramen progressus semper amplior evadit: Tùm in avibus *ovaria* fermè plana sunt, & undique aperta, seu ad unum liberumque velut tabulatum composita: neque iis ideo *oviductus* in tantos flexionum modos, mirabili, ut ita dicam, industria contorqueri debet; ut debet in Mulieribus, ad ova, in diversis, immó oppositis, *ovariorum* orbis plagis sita, excipienda: qua de re, ut quamminimé errare posse *uterina* brutorum in genere tuba videtur, foecundatum germen ab *ovario* in uterum devehens; ita muliebris tuba quammaximé. Atque ut ad liberum ovi trajectum tot impedimenta esse queunt, quot memorata ea sunt, per quae

humanae

humanae tubae a brutorum tubis discriminantur; sic dum vitiosae graviditates, magisque sterilitates, in mulieribus frequenter adveniunt, generatim in brutis rarae admodum sunt: Quamquam in majoribus brutis, ut vaccis, equis, aliisque ob majorem in iis tubarum, saltem quod ad longitudinem & angustias, cum muliebribus similitudinem, non tam rarae sint. Ita brutorum hujusmodi infoecunditates heris saepe & parariis negotium facessunt: & Accuratissimus Genuensis Anatomicus *Fasce* nobis ante hos duos annos referebat, vaccam in tuba praegnantem vidisse: sed quoque praegnationem hanc inter insolentes eventus numerabat.

Cur vero brutis ad *gestationes* tanta commoda data sint, & tanta Mulieribus discrimina: & an haec muliebri originali culpae, praeter dolores partus, succreta adhuc alia censenda sit poena: id dum mystici Homines viderint; nos ex iis quae diximus, varias vitiosarum generationum, seu graviditatum species jam deducemus. Vitiosa igitur graviditas triplex est: externa, interna, atque intermedia: externa, quae extra viscera in ventris cavea defigitur; & foetus cum *secundinis* ad eorum facies solùm connectitur; & *placentae* radiculae eumdem cum eorum nutritiis va-

Vitiosa generatio, seu graviditas, in varias suas species distinguitur.

ſis connexum, quem cum uterinis vaſis obtinere ſolent, idemque commercium ineuntes, accrementa foetui naturalium ſimilia contribuunt : atque haec *ventralis* ſimpliciter graviditas nobis dicta eſt : quae in *ventralem* minùs externam , & *ventralem* magis externam, tum inſuper in ſuperiorem, & inferiorem ſubdiſtinguitur : Minùs externa, quum foetus, ejuſque involucra in viſcerum ſpatiis nonnihil profunda ſunt : magis externa, quum illa magis extrinſecùs, ſeu velut *ſubcutanea* , jacent: ſuperior, quum regiones abdominis, ſupra pelvis caveam ſitas, conceptus occupat : inferior, quum inter confinia pelvis, ſeu infimae ventris cavitatis, conſiſtit : in iis omnibus foetus debito tempore non extracti, vel exſiccantur, vel putreſcunt, vel neutri manent . Interna porrò vitioſa graviditas illa eſt, in qua etſi naturale, foecundatumque ovum jam ab *ovario* per tubam in uterum tranſierit ; hoc tamen ovum, vel in molam, vel in falſum germen, vel in monſtrum faceſſit : vel etiamſi foetus in ovo explicatus & accretus, in haec vitia non ceſſerit, breviùs tamen quàm par ſit, aut diutiùs, in utero immorans, nec ſolito naturalique partu excluſus, vel per abortum expellitur ; vel in hoc vaſe ſenſim exſiccatur, atque, ut ajunt, *co-*

riaceus

riaceus fit ; vel putrescit : Putridus verò, vel per uteri vaginam & pudendas partes integer, aut membratim excernitur; vel ipso tandem quoque corrupto abruptoque utero, in ipsam ventris caveam irrumpit. Ad internas quoque vitiosas graviditates referendae illae sunt, quae vel in interna ipsa *ovarii* substantia, vel in interna tubarum cavitate fiunt. Media demum vitiosa graviditas illa est, quae vel inter *ovarii* substantiam, ejusque succingentem tunicam; vel ad exteriorem tubae caveam, ante ejus *tendinei* circuli ingressum, seu ad tubae tentorium efficitur : media verò dicitur, quoniam neque interna est; ut quae in uteri fundo, aut solida *ovarii* substantia, aut interna tubae cavea celebratur; neque externa est, ut *ventrales* dictae. Illa porrò a Philippo Salmuth (*z*) & Casp. a Reies (*a*) relata graviditas, in qua foetum per os partum fuisse legitur; eademque a Maroldo (*b*) mirabilior indè facta, ex partu per eumdem locum triplici in eadem femina descripto, primo foetus cum *placenta*; altero foecundati ovi, & tertio novae *placentae*

(z) *Cent. 2. obser.* 94.
(a) *Elys. juc. quaest.* 91.
(b) *Ex Rulaeo : Traité de l'Operation Cesar. Cap. XIV.*

tae, & integrorum ossium partiumque novi foetus; tum verò ab aliis per similes narrationes firmata: & illa in urinali vesica praestita (*c*) nos non solùm cuinam vitiosarum graviditatum generi referendae sint, profectò ignoramus; sed quoque neque eas intelligere, imo nec credere, lubenter confitemur. Cum verò harum omnium delinquentium *gestationum* aliquod afferre peculiare exemplum non abs re esse videamus; caeterisque longè crebrior *ventralis* seu externa graviditas sit; ad hanc Provinciam implendam se primùm praebet appositè prior illa earum, quae nostris diebus visae sunt, celebrium Taurinensium *ventralium* graviditatum: atque inter illas superiores *ventrales* ea est, quas magis externas, seu *subcutaneas* dicimus.

Ventralis graviditas Taurinensis Feminae.

Angela Francisca, Alexandri Morani Periti Taurinensis Chirurgi Coniux, minuta, *pichrocola*, aetatis annorum XXVI., Februario mense anni 1714., jam dudum a ventre, maximèque ab *umbilicali* sede, impensè, non assiduè, dolebat: Nonum graviditatis mensem tetigerat; eademque antegressis mensibus passa, quae in quatuor aliis maturè gestatis filiis, & bene partis sustulerat: Idque desuper, quòd in hac postrema praegnatione ad flaccentes, ac semper

(c) *Eph. N. C. Cent.* 5. & 6. *obs.* 20.

semper inanes mammas lac nullo modo accesserit; tum verò ventris tumor superiora solúm loca, potissimùm *umbilicalia*, occupaverit, vacuâ relictâ *hypogastricâ* sede. Diuturna praeterea fuerat spirandi angustia, constantes nauseae, crebri vomitus, crebraeque *anomalae* febres. Dolores postea dies aliquot temperati sunt; solitique, qui nonnihil torpuerant, redditi foetus motus: recrescebant tamen cruciatus ad quartam Martii mensis diem: indèque saeviores, ad lumbos atque *uterinas* partes gliscebant. Quare se partui proximam putans femina, accersiri obstetricem curat: quae postquam aptè puerperam collocasset, manuque in vaginam intrusa, cervicem uteri, quam partui paratam censuit, asperiùs, quàm decuisset, obstetricari nisa est; multa ex hoc loco diuturnaque sanguinis effusio successit. Succrevere vomitus cum nauseis perpetuis acerrimi, plerumque inanes; *cardialgiae*; spirandi difficultas; ardentissima febris, cum siti, calore atque vigiliis perpetuis: quibus addebatur dolor, a scrobiculo ad umbilicum impensè divellens & lanians. Accersitus ipse; atque antecedentia, & adjuncta quaelibet illumque imprimis cruciatuum principem stabilemque locum, ejusque tumoris rationem seriò perpendens, de *ventrali*

trali graviditate cogitare coepi . Certiora tamen super hac re signa cupiens, Chirurgum de *Roy*, in obstetriciis quondam peritissimum , advocari jubeo. Hic uteri osculum diligenter speculatus, id non dilatatum , non explanatum , non extenuatum invenit , ut maturis atque imminentibus *uterinis* partubus esse , necesse est ; sed a consueta illa in non gravidis angustia nullo pacto immutatum : ut ideò de graviditate extra uterum omnino statuendum fuerit . In iis salebris etiam superaddito expertissimo D. Calvo , tunc Chirurgo, rerumque Chirurgicarum eleganti Scriptore, postea Medicinae Doctore a nobis renuntiato,nuncSacerdote piissimo,& eximiae doctrinae Filii, Collegii Doctoris optimi,felici Patre ; eodemque in consilium adhibito, unà rei summam Marito aperiebamus : nimirum : Foetum *ventralis* conceptus esse , eumque in ultimo vitae agone positum : In extremo , simulque inani internarum virium pariendi nisu nihil superesse tentandum , praeter parvum , seu , quem ita ego appellare soleo , externum caesareum partum ; eòque magis , quòd , aliquo adhuc vitae foetus elucente indicio , & Matris & Filii incolumitati prospici unâ operâ posse videbatur . Sed , *volesse il Cielo , che alle sue persuasive* (de me ait feminam visente

sente, consulenteque laudatus Calvus) (d) *avessero ceduto in tempo le repugnanze dimestiche, e dell' Ostetrice*. Nostro igitur (malâ sorte) non statim, ut opus erat, expleto consilio, aliud indè, praeter domesticorum atque obstetricium difficultates, eidem adversatum est. Namque acerbissimi, super priores omnes, extempló surrexere dolores: quos nonnisi partus esse, seu eosdem illos, quibus peperisse aliàs solita fuerat, misella exclamabat: immò peperisse jurasset: cum ab hoc summi cruciatus puncto omnes illi molestiae sedatae fuerint: nec pristinos illos, ad *umbilicalem* & *epigastricam* regionem semper incommodos, foetus subsultus, immò nec minimnm ejus motum ampliùs senserit: & vomitus, qui priùs perpetui fuerant, eodem momento planè subsederint. Atque post illud temporis nonnisi immobile pondus se gestare in ventre percepit femina; idque, quum ad alterutrum latus decumberet, instar lapidis dilabens concidensque. Adhaec verò post diem unum augetur febris; post

(d) *In Epistola ad Anellium, edita in ejusdem Libro: Suite de la novelle Methode &c., & in alia Epist.: Lettera Istorica di Paolo Bernardo Calvo &c. Torino 1714.*

alterum acutior ardentiorque fit, cum deliquio frequenti, immani siti, crebrâ mentis alienatione, delectu virium, nunc luridâ, nunc rubeo-plumbeâ facie: quodque rei caput est, halitus oris teterrimè fetet; & assiduus ex utero liquaminis, fetentissimi seu *cadaveracei* odoris, fluxus animadvertitur. Ex iis igitur non solúm dignovimus, maturum foetum in sui generis partus conatibus, & in illo dolorum apice, a nectentibus, & alentibus ventris partibus unà cum *secundinis* semotum divulsumque, indèque mortuum fuisse; sed jam in praecipitem corruptionem evadere: tum verò foetus sedem cum *uterinis* partibus communicare; cum ex illa in has tabifici liquores stillarent: Quamobrem nostrum de matre, foetuque simul salvandis per caesaream sectionem consilium fore ex parte irritum, doluimus; cum haec maternae saluti solùm posset indè subsidium ferre: At sectio a nobis, dignotis his omnibus, tunc eò ardentius urgebatur, quò celerrimam mortui foetus putrefactionem, maternum quoque excidium promtiús propiúsque minari, in comperto erat. Sed nova ex timore feminae, atque ex consultis Viris aliis, oblata obstacula sunt. Interea putrido *uterino* fluxui, aliisque calamitatibus accesserat

ferat major ſpirandi anguſtia, ſumma virium in dies deceſſio; hinc gutturis ſibilus & ſtertor. Duodecimâ a ſummis doloribus, ſeu a foetus obitu die, tumor ad umbilicum prodiit, ſe quàm citiſſimè expandens & erigens; brevique acuminatior praeſtitus, *hiatulo*, vix milii granum admittente, ſpontè aperiebatur; apertumque tumoris oſculum, ichorem fetidiſſimum luridumque tabum, *uterini* ſimillimum eructabat: Hinc peſſimè mulieris res verſae: acerrima febris cum delirio, duroque & anguſto celerrimoque brevique pulſu, fortiora & aſſidua deliquia, clamoſa ſitis cum ſicca aridaque lingua, vomitus perpetuus, marmoreae extremorum frigiditates, ſpirandi ſuffocatio, cadaveroſa facies, ſtertor magnus; *Antipatricus* indè, atque formicans jam pulſus. Tumoris oſculum, ſpontè adhuc dilatatum, putridos cum horrida lividaque ſanie emittebat capillos; ſimileſque vagina uteri pari tempore eijciebat. Foetus *ſubcutaneus* erat, mortuus, putreſcens; ſuoque tabo matrem interimens: Mors propè eſt: nec vitae hora ſupereſſe videtur. Quis temerè ſectioni adhuc obſtitiſſet? Secuit ideo aliquando Calvus noſter peritiſſimus, introducto priùs ſpecillo, eoque amplam caveam, & aſtantem foetum ſpeculatus.

Foetus

Foetus die ab ejus obitu 18., omni involucro carens extrahitur, nigerrimus, corruptiſſimus, fetidiſſimus, multis jam in partibus ſolutus & fracidus: Eruitur indè non minoris labis *placenta*. Reviviſcit Genitrix; recreatur ſubſidiis; vires recolligit: teterrima uteri purgamenta minuuntur; & tandem deſinunt: Inductum abdominis vulnus topicis remediis fotum, ſuppurationem aggreditur; & multam ſalutis portendit ſpem. Sed cadaveroſum octodecim dierum contagium, in inficiendas eas omnes, quae foetum comprehenderant, partium matris ſuperficies, jam nimis latè longèque proceſſerat· Mulier ipsâ ſectionis horà ab orci faucibus erepta; poſtea inter alterna ſalutis & occubitus indicia nutans, decem adhuc integros dies vixerat: quum ab iis, quae *necroſes* internarum partium comitantur, *ſymptomatibus* correpta & obruta, placidè expiravit: a ſerotino caeſareo partu nonnullos vitae dies conſequuta: quae tamen, florente tunc aetate, vel ipſos ſeniles annos a tempeſtivo impetraſſet.

Feminae Cadaveris inſpectio. Aperto a Peritis Calvo & de *Roy* in frequentia Spectatorum Cadavere, internae partes ventris liventes, immò nigrae omnes perſpectae ſunt: ſed hic gangraenae color, atque ſuffuſio ſolam earum par-

tium

tium superficiem invaserat: Cum levi hoc nigredinis absterso abrasoque cortice, rubrae omnes & incolumes interiùs apparerent: ut facilè omnes noverint, tincturam hujusmodi a solo putridi foetus contactu fuisse superductam. Membranae ferè rotundae & spongiosae, jam valdè corruptae, alicubi lacerae solutaeque, ad ventris centrum intestinis superstratae, superiùs colo, reliquo ambitu tenuibus intestinis connexae, iisque, *supernumerarii mesenterii* adinstar, adnatae, eademque novi instar vinculi alligantis atque adducentis, vestigia apparebant: Membranosa appendix a rotunda hac, aut subrotunda membrana sinistrorsum protendebatur, velut in insculptam foveam, inter gracilia illius lateris intestina praestitam, insinuata; suâque productione atque formâ totam adhuc foetus figuram ac dimensionem repraesentans: ut planè fuerit idcircò compertum, foetum ad hanc sinistram membraneam appendicem, stationem suam habuisse; *Circulari* verò membranae *placentam* fuisse supercretam; & succos alibiles, hujus membranae, tamquam providissimi cribri atque coli, interventu, vel a *meseraicis* & *intestinalibus* sanguineis vasis, vel fortè etiam ab ipsis immediatè lacteis, in foetus nutricatum trans-

Fig V.

Lit. E.

F. G.

transſmiſſos. Ita ex ea, quam a diligenti deſignatore ex materno corpore adumbrari curavimus, icone, foetum quoque in propria materni ventris ſede, eademque, quae in eodem extracto viſa fuerat, & quae a membranaceae appendicis figura indicata eſt, capitis, trunci artuumque poſitione, inſculpi atque exhiberi ſategimus: Centralis verò, ſeu ſubrotunda membrana in hac imagine, tametſi a *placenta*, ſuo pariter poſitu delineata, obtegatur; ſuam integram tamen ſub *placenta* extenſionem atque *circumferentiam* oſtendit. *Uterina* verò tuba, non dextra (ut ab aliis eſt proditum) ſed ſiniſtra, ultra naturalem ſtatum dilatata elongataque, & ſuperiùs versùs ſubrotundam membranam
D. inflexa, ſiniſtro inferiori ejus limbo per ampliatum ſuum liberumque tentorium, & praecipuè per erectas extenſaſque fimbrias, adnata erat & coalita. Igitur inter tabidas & putreſcentes *ſecundinas* foetumque, atque uterum, vaginam pudendaque, ſaniei fluentis, immò & capillorum foetus, cum urina demum exeuntium, per patulam affixamque hanc tubam, commercium inditum apertumque fuit. Siniſtra verò tuba, ut ut ſolito contractior, naturalis erat. Demum ſubrotunda centralis tunica nullum cum uteri

uteri fundo habuisse nexum visa est: Cum nempè utrisque partibus tenue interpositum intestinum esset: neque insuper ad utrasque tubas, neque ad iliorum ostium, aut ventriculi confinia eadem tunica porrigebatur: Quod si colo nonnihil adnexa perspecta est, intestinum hoc, inducto flexu anguloque, recedens a ventriculo, ad inferiora descenderat: Haec verò coli intestini flexura & descensio, in gravidis non infrequens est: ut nobis ex innumeris extispiciis constare potuit. a

Cum verò Praeclarifs. Mangeto, anno 1716. Theatri sui Anatomici editionem festinanti, istamque, sibi jam diu relatam historiam, a me flagitanti, ejusdem breviarium, raptim utique, at verò ad naturae imaginem fideliter exscriptum, transmisissem; privatis tamen litteris pollicitus, ampliorem postea, & in tubis, utero, membranis, foetu, caeterisque partibus, absolutam historiam fore me traditurum, quum iconem ære incidi, eamque ideo sub oculos praeclariùs describi licuisset; (quod quidem variis de caussis nonnisi post longum tempus confectum est) hoc interea quodque fuerit, summarium absque alia cunctatione, laudati Theatri editioni eodem anno fuisse additum perspeximus. Me quidem diligentiâ & fortu- *Ortae super hanc graviditatem controversiae.*

nâ

nâ ſuperavit Calvus noſter Peritiſſimus; qui eodem jam anno 1714. tres ſuper inſolito hoc eventu ad tres eximios Viros Epiſtolas dederat: Primam, ni fallor, ad Celeberrimum Fontenellium, qui ejus ſummarium Hiſtoriae Reg. Scient. Pariſ. Acad. adjecit (*e*). Alteram ad Celebrem quondam Anellium, qui eamdem in ſuo ad eumdem annum edito libro evulgavit (*f*). Diffuſiorem tertiam, ratiociniis ſcilicet ac floſculis ampliatam, ad Illuſtriſs. Fantonum: quam Auctor ipſe eodemque anno publici juris fecit (*g*): Atque hae omnes Epiſtolae non ſolùm eodem propè tempore lucis uſurâ perfrui meruerunt; ſed multo majoris ſolertiae laudem, prae illa noſtra, principes dumtaxat res memorante, narratiuncula adeptae ſunt. Namque anno 1719. Liber in Celeberrimum Mangetum prodiit, hunc Virum ſuo loco de noſtra illa Hiſtoriola multis verbis objurgans & increpans: quorum quidem haec ſumma eſt: „ Debuiſſe Mangetum hujus Fe-
„ minae hiſtoriam exhibere, potiùs quam
„ ex litteris noſtris, ex multò *accuratiori*
„ Chirurgi peritiſſimi P. B. Calvi deſcrip-
„ tione; ex qua nempè, quomodo ute-
rus,

(e) *Ad ann. MDCCXIV. in Obſerv. Anat.*
(f) *Cit. ſup. Lib. Taurin.* 1714. *fol.* 294.
(g) *Cit. ſuperiùs Epiſt.*

„ rus, tubae, foetus, involucrum atque „ illa membrana se habuerint, praeclarius intelligitur: tum ex eo pracipuè, „ quòd ab eadem *accurata* descriptione, „ per Cel. Fontenellium evulgata, foetum „ potiús in exteriore dextrae tubae membrana, quám in ipsa ventris cavea, ut „ a nostra *minùs accurata* ostenditur, fuisse conclusum appareat: ut haec ideo „ Historia (prossequitur Mangeto exprobare) potiús inter *tubarias*, quàm *ventrales* historias referenda fuerit „ (*h*).

Quae ipse quum viderim, subiit animum, Calvi nostri *accuratioris* Historias, jam mihi dudum invisas, paululum revolvere. Porrò ex prima Historia ita legi: „ Le foetus étoit renfermé dans un sac formé par la membrane exterieure de la „ Trompe droite (typorum errorem fuisse arbitror, cum sinistra pro dextra tuba intelligenda sit) cette membrane s' etoit „ extremement dilatée, sans doute, parce „ que l' oeuf, qu' un malheureux hazard „ avoit placê entre elle, & la membrane „ interieure de la mêmeTrompe, avoit toûjours en s' accroissant, & en se developpant étendu celle, sur la quelle il pesoit(*i*). *Et diluuntur.*

Sed

(h) *Adversar. Anat. IV. Animadv. XLVII.*

(i) *Loc. sup. cit., seu ad Hist. Reg. Paris. Scient. Acad. ann.* 1714.

Sed cum foetus apud omnes Calvi nostri Historias putruerit, atque ita putridus extractus fuerit, & putredo foetus membraneas, vel solidiores ac remotiores, partes ita infecerit, ut eumdem legerim in altera, seu ad Anellium, Epistola, differentem Virum: Il peritoneo ne era tutto affatto putrido (*l*), arduum mihi certè fuit, ex hac lectione intelligere; quomodo saccus ille, ex membrana exteriori tubae confectus, ubi putridus foetus habitasse dicitur, illaesus adeo a putredine extitisset. Cuinam (mecum legendo meditabar) datum fuisset perspicere, foetum in hoc sacco, seu internam inter externamque tubae tunicam, habuisse sedem; cum foetus a vivente matre divulsus, suisque omnibus nexibus atque membranis omninò solutus per putredinem fuerit? Et sanè oppidò reminiscebar legendo, neminem certè, saccum istum in mortua matre perspexisse. Plus ergò appositè in altera Epistola legebam: „Nella tuba sinistra non „ scorgevasi mutazione alcuna, la destra „ era soltanto dilatata verso le fimbrie (*m*).„ Cum verò in prima Epistola foetum ad externam tubae tunicam a nostro Auctore collocari animadverterem; in tertia tamen

(l) *Cit. loc.*
(m) *In cit. ad Anellium Epist.*

tamen ad internam positum inveniebam: „ Due sono le membrane constituenti la tu- „ ba ; l' esterna , che è un' intima conti- „ nuazione dell' utero ; l' interna , che, es- „ sendo spongosa, tutta è ripiena di glandu- „ le , verso l' ovario è alquanto rugosa , e „ perciò capace di dilatazione : Questa di- „ latazione , come si ricava dalle osserva- „ zioni accennate , era di una grandezza „ proporzionata a contener il feto di tre , „ sei , o nove mesi , avendo questi trovata „ la tuba ampiamente dilatata „ (*n*). Hinc Scriptorem nostrum , de membrana illa sermonem instituentem , legendo prosequebar „ : Ritrovai una spuria membrana pro- „ dotta , come i follicoli , *suam a tuba ori-* „ *ginem trahens , & incrementum* , che essen- „ do unita alla esterna parete dell' utero , „ distendevasi ad ambe le tube „ (*o*). At verò ita legendo divinare non poteram ex hoc descripto cum ambabus tubis, illius membranae connexu , utra eidem originem dederit . Cum verò in prima Epistola solúm de sacco loquentem adverterem; in altera , misso sacco , planam solùm , ac *sphaericae* figurae , seu , ut intelligit , rotundam membranam memorantem perspiciebam : In tertia non quidem *sacciformem*

G

(n) *Cit. Epist.*
(o) *Idem ibid.*

mem, ſed rurſus planam membranam deſcribens, tradit tamen in plana hac membrana foetum fuiſſe contentum: & cum prius conſtituiſſet foetum in ſacco, a tubae membrana compoſito, nunc adijcit: „ Dunque il feto nel caſo preſente non era „ contenuto nella tuba, ma nell' accenna- „ ta membrana; che *vices gerebat uteri*,„(*p*): & ante paucas lineas, miſsâ tubâ, miſſo ſacco, miſsâque prorsùs membranâ, foetum hujuſmodi apertè *ventralem*, & nunquam in tuba fuiſſe, ſtatuerat„: Io ſon di „ penſiere, che l' ovulo ſecondato, aperta „ nel diſtaccarſi la membrana dell' ovario „ non ſia giunto ad imboccare nella tuba, „ ma ſia rimaſto bensì tra quella, e l'ova- „ rio, e perciò nella cavità dell' abdome:„ & ſuperiùs:„Qual meraviglia, che portan- „ doſi il plaſtico liquore all'ovario a render „ ſecondo alcun ovo; ma non eſſendo la „ tuba diſpoſta a riceverlo lo laſciaſſe in vi- „ cinanza di quello?„Et inferiùs:„ Queſt'ov- „ ulo ſecondato ebbe a rimaner fuori della „ tuba „ (*q*). Praeterii tunc loca alia, tubae amplitudinem confirmantia:„ per qual „ ſtrada poi rinveniſſero l'uſcita gli accen- „ nati capelli? Non d' altrove ſe non che „ dalla tuba ancor dilatata ne'primi giorni, e

(p) *Idem ibid.*
(q) *Idem ibid.*

„ e da questa nell' utero, indi dalla vagina „ portati con l'orina stessa nelle materie fe- „ cali „: & alia omisi, ejusdem angustiam probantia: „ Procurando di rinvenir alcu- „ na dilatazione della tuba,non fu mai pos- „ sibile di ritrovarla; anzi che aperto l' ute- „ ro dal fondo verso la tuba destra assai pro- „ longata,non scorgendosi nella sinistra al- „ cuna mutazione, ammetteva un sottile „ specillo a gran pena; tanto che vicino „ all' ovario sembrava affatto chiusa; ma „ erano le sue fimbrie assai dilatate,ed uni- „ te alla sudetta membrana„ (*r*). Haec, inquam, praeterii: satis enim mihi visum fuit revisisse ea, quibus judicare omnes possent: An *ex peritissimi Chirurgi P.B. Calvi accuratiori descriptione* appareat, *foetum in tuba, non in ventris cavea fuisse conclusum*. Laudatus Anellius hanc a me absolutam Historiam dudum expectaverat: „ „ Mr. Bianchi (scribit ille (*s*)) a for- „ mé le dessein d' écrire á cette occasion: „ Il a même deja communiqué cette ob- „ servation á Mr. Manget. Il m'a fait „ voir la reponse obligeante, que ce sa- „ vant Medecin lui a fait... Il m'avoit

(r) *Idem ibidem*.

(s) *In Epist. ad D. Calvum, quae postrema est in ejus superiùs cit. opere* Suite &c. *ad ann. MDCCXIV*.

„ chargé de donner avis de ſon deſſein à
„ Mr. l' Abbé Bignon ; & ie n'y avrois
„ pas manqué, ſi Mr. Bianqui avoit eu le
„ loiſir de me communiquer le fait bien
„ circonſtantié, ſans quoi, il ſeroit inu-
„ tile de le preſenter à Meſſieurs de l'Aca-
„ demie. L' occupation, que l' impreſſion
„ de mon livre m' a donnè, m' a em-
„ peché de le ſolliciter lá-deſſus. J' eſ-
„ pere que le Public ne perdrá rien pour
„ attendre &c.„ Ego verò curis aliis innumeris atque gravioribus diſtrictus, ad hos uſque dies Hiſtoriae editionem diſtuli : Si nunc temporis laudatus Anellius adhuc vitam duceret, deſideratam narrationem, fuſiori calamo conſcriptam, lubenter legeret.

Aliae, eaedemque praecipuae ventralium *graviditatum Hiſtoriae.*

Nunc, ut alias quoque *ventrales* graviditates, earumque differentias & hiſtorias proſequamur : Jam ad minùs externae *ventralis* graviditatis exemplum, occurrit prae caeteris ſingularis illa graviditas, a Manialio deſcripta (*t*), ex tribus foetibus per totidem diverſos conceptus in uno Gallicae Mulieris ventre collectis accretiſque, triplex ideo praeſtita ; ſolutaque per abſceſſum ad latera umbilici, exitumque omnium ſimul oſſium, quae illos tres foetus conſtruxerant. Haec igitur Mulier ter partuum labores, ter internos abortus, ter foetuum

(t) *Ex Rulaeo de operat. caeſar. Cap. II.*

foetuum neces, terque eorum corruptiones sustulit: deinde sana rectèque foecunda vitam degit. Porrò ad *ventrales* superiores graviditates, quae spectant Historiae, praeter eam, quam referunt de celebri Mussipontano foetu, velut lapidefacto, Straussius, Bartholinus, Deusingius, Horstius Aliique (*u*) & aliam perfecti foetus, suis tunicis partim mesenterio, partim colo intestino alligati (*x*), & aliam Tolosani famosi quoque foetus, Epiploo annexi, & annos XXV. in superiori abdomine commorati (*y*) & aliam a Saviardo (*z*) & fermè similem aliam a Courtial (*a*) & plures ab actis Anglicis (*b*) & foetus aliam in dextro Hypochondrio siti, *placentaeque* vertebris haerentis (*c*) innumerae adhuc sunt per Auctorum commentarios dispersae. Neque enim prima extitit diuturnissimae graviditatis *ventralis* Tolosana memorata Historia. Lautier, Eyssonius Aliique plurimi, foetus extra uterum

Ventralis *graviditas minùs externa.*

Ventrales *graviditates propriè superiores.*

(u) *Pecul. Tract. Francof.* 1669:
(x) *Ex Diario Ab. de la Roque* 1663.
(y) *Bayle in Hist. V. celebris hujus foetus: & Blegny Zod. med. ann.* 1.
(z) *Observat. Chirurg.*
(a) *Observat. Anat.*
(b) *Volum. VII.*
(c) *Histor. Reg. Paris. Acad. an. MDCCXVI.*

in abdomine accretos, viginti annos immò triginta gestatos, &, ut putabant, lapidefactos describunt: & plures adhuc descripsissent, si illis aetatibus, ut hâc nostrâ, sedulae gravidarum morientium apertiones atque inspectiones invaluissent. In *ventralibus* istiusmodi graviditatibus, quum foetus maturus est, & in partum nititur, ejusque dolores excitat; nisi promtè per caesaream sectionem extrahatur, ruptis nutricatus commerciis illicò moritur: Mortuus vel putrescit, vel exsiccatur: Porró si putrescat; felices utique Matres, quoties a foetuum corruptionibus excitentur abscessus; iisque ultró apertis, imò etiam a Chirurgo ad instar caesareae sectionis dilatatis, vel integer corruptus foetus, vel solutae disruptaeque jam ejus partes, tempestivè egrediantur. Referebat mihi ante hos decem, aut duodecim annos peritissimus quondam Chirurgus noster Schina, Mulieri cuidam, in Vercellensi Urbe a decem annis in abdomine gravidae, inflammationem, totam illicó anteriorem ventris partem occupasse: plures indè natos abruptosque abscessus: ex his ita foetentem saniem eruptam, ut omnes feminam, imó feminae domum effugerent: At veró ex iis singulas sensim foetus putrefactas solutasque frustatim partes exiisse: hisque omnibus

Vercellensis historia superioris ventralis *graviditatis, cum foetus corruptione.*

bus ejectis, hiatus omnes suppuratorum tumorum consolidatos esse: Feminamque mediocri incolumitati redditam, superstite tamen gravi *omphalocele*, & quibusdam viscerum erroribus: undè post aliquot annos ejus obitus fuit. Hanc quoque historiam Cel. Fantonus noster in suo nuper edito elegantissimo Opere (*d*) memoravit. Promtâ sanè ventris sectione post susceptos a foetu conatus ad partum (namque hi conatus, non secus ac in *uterinis* naturalibus foetibus, adveniunt quoque in iis, qui ad maturam *ventralem* graviditatem pervenere: Foetus nempe in egressum é carcere naturali instinctu nitentes, *placentam* solvere a nexibus, imó & membranas perrumpere valent) tantis naturae laboribus ac tentamentis, productisque morbis inductaeque neci fuisset parcitum. Ita non solùm apud Recentes (*e*) leguntur Historiae foetuum, aut earum partium, per umbilici, aut aliûs abdominis regionis suppuratos tumores exeuntium, aut extractorum; sed quoque apud Veteres

(d) *Opuscul. Med. & Physiol. fol.* 204.

(e) *Rivaltier. apud Diar. Med. Ab. de la Roque: Th. Barthol. Theoph. Raynaud. Santorin. & apud eum Rubinus: Aliique.*

Historia germanae Feminae, novies caesarea sectione parientis.

(*f*) & vetustiores (*g*) Hoc tamen non semper promtum naturae auxilium, seu ventris abscessus, eorumque indè apertiones ad suos edendos foetus, non expectabat quaedam robusta Femina, Germani Militis uxor, *ventrales* semper graviditates habere solita: Haec ab ann. MDCXC. usque ad ann. MDCXCV., quo tempore belli caussâ in iis nostris Regionibus commorata est, quatuor a suaè legionis Chirurgo diversis in ventris sedibus caesareas sectiones sustulit; & quinque jam antea passa fuerat: Post paucos a sectione dies hilaris & sana é lectulo surgebat, ad novos conceptus parata. Mulier postea discessit cum suis, atque in Germaniam profecta est: Igitur an ulteriùs in ferendas sectiones processerit; an ipsi evenerit, quod Rossetus (*h*) Feminae, sexies quoque jam ita sectae, contigisse refert, ignotum. Hanc quidem non novimus: sed a Chirurgis, & Obstetricibus omninò fide dignis, qui eam ejusque cicatrices conspexerant, a longo tempore

(f) *Alex. Benedict. Marcellus Donatus: Saguyerius: Cornax: Albosius: Gassarus: Rossetus in pluribus Historiis: Platerus: Bauhinus: Cordaeus: Hollerius: Doringius: Alsarius &c.*

(g) *Albucasis Chirurg. lib.* 11. *Aliique.*

(h) *De partu Caesar. sect.* 1. *Cap. V. Hist.* 1.

tempore relatum habemus. Necessaria igitur caesarea sectio est, vel quum foetus in *ventrali* superiori graviditate vivus adhuc, idemque maturus est, & nisus in partum susceperit; quibus nempe *secundinas* succutiens ac divellens, facilè quoque *placentam* ab assumta cum ventris partibus connexione expediat, aut ad se expediendum disponat (*Placentam* enim in maturo, jamque nitente foetu non difficilè, imò spontè etiam expediri & disjungi, in naturalibus partubus perpetua observatio est: estque omninò conspicuum, in irritis iis partubus, misellorum foetuum, ita exitum & in lucem aditum tentantium, conatus celeri externo auxilio indigere) vel quum mortuus jam est, & ad corruptionem properat; aut eam jam subiit. Quum verò in superioribus ventris graviditatibus mortuus aliquando foetus non corrumpitur, sed exsiccatur, Caesarea sectio non ita tuta est: neque idcircò, nisi multis perpensis circumstantiis habitisque cautelis, imperanda. Namque exsiccatio foetus indicium est, tantam adhuc inter ipsum & ventris viscera connexionis, & velut continuitatis rationem intercedere; ut licèt nutritiorum succorum commercium inter utraque corpora demtum fuerit, quaedam adhuc velut communis vitae consensio supersit

persit; quâ quidem eveniat, ut foetus *ventralibus* partibus firmè involutus, non ut omnino extraneum mortuumque, sit corpus: neque ideò corruptionis legibus pendeat. Accedit insuper, foetum in ventre exsiccatum, nisi *uterina*, seu naturalis superveniat graviditas, vix ullo esse incommodo; diuque incolumi matre gestari posse. Hinc aequum est, gravidas ita suae sorti relinquere: ut barbarum esset, in vitae discrimina, per ruptos foetuum cum ventris visceribus & tunicis profundiores fortasse connexus, coniicere; ut inferiùs videre erit, quum de altera *ventralis* graviditatis Taurinensi Femina dicemus. Caeterùm inter famosos *ventralium* graviditatum exsiccatos foetus, duo quidem primas tenent: Primus Tolosanus ille, annos XXV. gestatus: Alter verò Svevicus, ann. XXXXVI. in ventre matris sepultus; atque a Cl. Camerario descriptus (*i*): Hic verò non tantùm exsiccatus, sed globulo quoque osseo involutus deprehensus est. Sed iis aliisque hactenus omnibus, longè rarior & admirabilior est Taurinensis noster, inferiùs describendus; non solùm ob duplicem extra uterum habitam graviditatem, sed, (quod hactenus visum non fuerat) neque corruptus, neque exsiccatus.

Historiae ventralis superioris graviditatis cū foetuum exsiccatione.

Porrò

(i) *Dissert Inaug. Tub. MDCCXX.*

Porrò autem si in exsiccatis *ventralium* superiorum graviditatum foetibus caesarea sectio non valde tuta est; in inferiori *ventrali* graviditate, seu quae ad pelvis abdominis caveam sub iliis contingit, minùs quoque auxiliatur. Namque primùm, ossea undequaque claustra istiusmodi operationem impediunt. Insuper ova, quae in pelvim delapsa sunt, accretique indè cum *secundinis* foetus, contentis partibus plerumque immersa sunt prorsus, ac velut earum centrum occupantia. Etenim communior horumce foetuum sedes illa est, inter rectum intestinum uterumque ampla, vix levibus fibris, aut membranulis implicata capacitas; quae intrusi atque accrescentis indè corporis ponderi facilè cedere, & ad usque magis declivem pelvis regionem dilatari potest. Quòd si tamen in iis pelvis graviditatibus caesareus partus tentandus esset; hunc certè ad perinaeum potiùs, seu ad vesicae calculorum sectionis, magnique, ut dicunt *lithotomiae* apparatus locum, fieri oporteret. Quid enim Chirurgicis sectionibus magis est accommodum, naturâ monstrante viam? Namque Venetiis anno MDCCXXIX., in simili infimae ventris regionis graviditate, inter irritos pariendi diuturnos conatus, a quadam primipara femina, robusta & juvene

Ventrales inferiores graviditates.

Historia recentis Veneti Partus, per subitam in perinaeo praestitam scissuram.

juvene, per abnormem profundamque extemplo sponteque praestitam in Perinaeo scissuram, seu plagam, masculus puer vivus, & adhuc vivens, partus est, cum quadam sanè vaginae, intestino adnexae, laceratione; sed cum indè sequenti facilique matris incolumitate. Casum juratus refert Cl. Medicus & Comes, Livius Ignatius de Comitibus, Publicus in illa Urbe Anatomiae Professor (*l*) *Uterinum* foetum, per sectionem perinaei ex rupta inferiùs vagina, atque ad pudendum clausa, a nostrate Chirurgo vivum extractum, inferiùs describemus. Sed cum in pelvis graviditatibus neque semper similis, aut perinaeo ita proxima, foetus sit sedes; neque eadem a contentis visceribus solutionis libertas; idcircò saepè plagas optimè atque opportunè molitur natura: quas certè aliàs infaustè atque intempestivè Chirurgus infligeret. Quamquam enim Rossetus attulerit, foetum per sinistrum inguen solo artis opere fuisse extractum (*m*). Qui tamen foetuum in pelvi accretorum exitus sunt; hos sanè natura potiùs, quàm artis opera, moderari valet. Illa verò vel per novas & violenter apertas, vel per naturales, seu intestini atque ani vias agit. Prima actio sanè

(l) *In fol. Volanti eod. ann. edit.*

(m) *De part. caesar. sect.* 1. *Cap. VI. Hist.* 1.

ſanè rarior: Nam praeter Venetum memoratum caſum, qui ſuo equidem in genere, quód ſciam, unicus eſt; vix unum, aut alterum accedit exemplum ſpontè aperti per abſceſſum ilei, aut inguinis; cum foetus indè, a declivibus pelvis regionibus per internas vires ſuperiùs elati, ibidemque protruſi, aliquâ indè artis operâ, egreſſu: (*n*) Altera verò ita frequens eſt; ut undique jam privatae publicaeque integrorum foetuum, aut eorum partium, per anum excretorum, aut extractorum, hiſtoriae ad hominum memorias pervolitent. Foetus in pelvi accreſcentes, cum in eo, a firmiſſimis oſſibus circumſcripto, ſint loco, qui, ſecùs ideo ac ſuperior abdominis cavitas, ad quamdam ſolùm, nec ulteriùs, menſuram dilatari poteſt; ad certum tempus creſcere amplius non queunt; ſed a vitae officiis vetiti, ac tanquam praefocati, multò ante maturitatem moriuntur: atque hoc tam firmo clauſoque carcere coerciti, tandiu, cum quodam internarum matris virium otio, morantur; donec putreſcant: Hîc verò, ob totius corporis declivem ſedem, & tamquam ſentinam, faciliùs & citiùs putreſcunt:

Porró

(n) *Gaſſarus apud Dodon. Med. Obſervat. & Polius Hemerol ex Piſtoris Diſſert. inaugur. fol.* 9.

Porró putredinis contagio inteſtini partem, cui accubant, afficientes, ejuſque indè compaginem diſrumpentes, ſaepè per ſolutam unitatem ſibi viam in ejus caveam, & uſque ad podicem aperiunt. Quare, ut perquam difficile eſt, foetus in iis ſedibus exſiccari poſſe; ita rariſſimae hiſtoriae ſunt integrorum ſimulque incorruptorum foetuum, per anum extractorum: minùs tamen rarae, foetuum totâ adhuc partium compagine ſervatorum; quamquam ad aliquam jam partem corruptorum: valde é converſo frequentiores diſſolutorum jam foetuum, atque fruſtatim exeuntium, aut extractorum. Equidem ut integrorum & incorruptorum omnino foetuum nullus nunc mihi caſus ſuppetit; ita inter integros, at partim jam corruptos, foetus ille occurrit, a Cl. Santorino traditus (*o*) & ab eximio atque induſtrio Chirurgo Patunà, corpore quidem integer, ſed ad latus inteſtino obverſum corruptus, unâ felicique operatione exemtus. De foetibus veró membratim ex ano eductis, eorumque praecipuè ſingulatim ejectis oſſibus, ſcribunt, Langius, Cagnatus, Ronſeus, Roſſetus, Aliique plurimi. Memorat laudatus Santorinus in Pata-

(o) *Iſtoria di un Feto eſtratto felicemente intiero dalle parti derettane MDCCXXVII.*

Patavini agri pago adhuc viventem, & incolumem feminam; quae solido anno foetus ossa exclusit (*p*). Insuper partes foetus omnes, frustatim a recto matris intestino per Cl. Littrium exemtas esse, celebris Historia vulgavit (*q*). In iis veró intestinalibus partubus, si foetus in pelvis cavea accreverint, fato functi paulatim solvuntur, partibusque disjunguntur: & paulatim quoque eorum partes disjunctim excernuntur: ut ideo valdè diutini istiusmodi partus sint: sensim enim accrescentibus his foetibus assueta pelvis viscera; & sensim ad horum gradatas accretiones dimota ac diducta, non tam violenter in eorum propulsionem conspirant: Sed foetibus ad ventris superiora conceptis, ìndéque per internum partum ad infimam hanc ventris partem propulsis, inassuetae iis decumbentibus corporibus partes, ad validiores conatus extimulantur: hinc advenae isti foetus, adhuc integri ad anum pelluntur. Ita contigit in foetu Peritissimi Patunà, qui altiori ventris loco conceptus, per internum partum in pelvim indé descenderat: Ita & alteri Veneto memorato foetui contigisse puto: Qui nempe ad

(p) *Loc. cit.*
(q) *In Comment. Reg. Scient. Paris. Acad. MDCCII.*

ad ſuperiora ventris conceptus, & uſque ad maturitatem accretus, per internum deinde partum ad pelvis humiliora protruſus, indéque a maxima intentarum pelvis partium concitata vi, vivus adhuc per apertum perinaei hiatum foras ejectus fuiſſe, videtur. Ambo hi foetus novam in pelvi graviditatem fecere. Caeterùm *Alvini* ejuſcemodi partus *ventralibus*, per abſceſſus aut caeſareas ſectiones habitis, feliciores eſſe, liquidó conſtat: Ab illis enim matres plerumque incolumes, imó rurſus rectèque foecundae, evadunt: ab iſtis verò rariùs ac difficiliùs: quae nempe, niſi quàm citiús, ſectione aut etiam ſuppuratione, foetum vivum, aut mortuum excludant; praeter affectiones alias, ſaepiſſimè in hernias, citò interdum funeſtas, incidunt. Hanc inferioris ventris graviditatum diſquiſitionem noſtrâ quoque abſolvere Hiſtoriâ liceret. Vercellenſi enim Feminae, quam in altiori ventre fuiſſe gravidam, & abſceſſibus liberatam, ſuperiús vidimus, eâdem in Urbe ſucceſſit altera; quae non ita pridem inferiori ventre, gravida erat: Illa a corrupto foetu per apertos ad ventrem morboſos hiatus ſe expediit: Haec a corrupto quoque, ſolutoque jam foetu per communem naturalem hiatum, ſeu anum, diu ſe expedire laboravit: utinam felix

Noſtra ventralis *inferioris graviditatis, cum foetus corruptione, ejuſque per anum rejectis oſſibus, Hiſtoria*.

iſta

ita fuiſſet, ut aliae ſimiliter parturientes fuere. Sed horrida inteſtini in *alvino* hoc partu inducta laceratio eam ad lethum perduxit. Porrò autem cum haec graviditas, externa *tubaria* fuerit; hanc ideo interiùs ſuoque opportunè loco memorabimus; poſtquam vitioſas alias graviditates, jamque internas, eaſdemque primùm *uterinas*, proſequuti ſimus.

Mittimus hìc vitioſas uteri graviditates, quae ab hujus organi vitio ortae ſunt: eaſque ſolùm aſsumimus, quae a conceptuum erroribus naſcuntur: ut hoc pacto generationum vitia propiùs complectamur. Namque ſi organicos uteri errores in medium adducerem, in quot novas vitiorum ſpecies evagandum eſſet! Porrò inter malas uteri conformationes, hujus organi hernia primas tenere poſſe videretur: undè tot difficiles partus, & abortus praecipuè, aut coërciti diutiùs, variiſque indè modis depravati foetus aeſtimandi ſunt. Haec verò omnia alio loco tractabimus: hìc ſolúm obiter memorantes, *uterinas* hernias diſtingui poſſe in internas & externas: atque inter externas ſingulare in noſtra hac Urbe exemplum ſe prodere. Namque Roſae Cantùae, Taurinenſi feminae, ſericam operam agenti, cum antehac gravida eſſet, uterus extra ventris

Vitioſae in utero generationes atque graviditates.

Hiſtoria herniosae *graviditatis in Taurinenſi Femina.*

caveam protenſus , ita in abnormem ſaccum pendebat , ut hic ad uſque dextri femoris medium , interdum & ad uſque genu accederet . In hoc ſacco foetus tam vividi motus erant ; ut ſe non ſolùm tactui , ſed & viſui exhiberent . Interea foetus ad debitam maturitatem perveniebat . Mater ſuis ſemper officiis totâ graviditate vacans , nulla in motu quolibet , nullaque in naturalibus aut domeſticis functionibus incommoda patiebatur . Partus tempore ejuſque inſtantibus niſibus , omnia benè erant , herniâ, Chirurgi aut Obſtetricis manu ad interiora repulsâ : facilemque indè partum Mulier , atque laudabile puerperium conſequebatur . A partu , totâ promtè retractâ hâc uteri mole , nulla ampliús exterior ejus productio , niſi ad novam graviditatem, apparebat . Femina maturae modò aetatis , ſeu annum circiter 45. agens , tres hoc modo foetus , binos maſculos , & ſexus ſequioris tertium , feliciter ſuſtulit & peperit : Alium verò priùs, ſed naturali modo, geſtaverat enixaque fuerat; & in violentis diuturniſque hujuſcepri mi partus conatibus , primam *uterinae* herniae originem , ſub quadam internae ſubitaeque uteri *luxationis* ſpecie , perſenſerat : Quae tamen affectio , excluſo tunc foetu , deleri videbatur . Primus ille filius in vivis

ſolus

solus est: Cum tres illi succedentes *herniosi*, etsi maturi, necnon in speciem valentes, mox a partu obijssent. Neque Mater haec post habitam in quarta graviditate, etiam ante partum, *uterinam* haemorrhagiam, ulteriùs concepit: Graviditatis cursu nullâ unquam arte nullâque vi, ei saccus cum foetu in ventrem introduci poterat: Instante verò maturo partu, facilè introducebatur. Femina, gravida aut non gravida, parturiens aut puerpera, nullo unquam cingulo aut suspendente vinculo usa est: Neque extra graviditatum tempora, notam verae alicujus herniae, seu cum singulari peritonaei productione, alicubi ventris aliquam protulit. Verumtamen, graviditate ad medium tempus vergente, jamque ad multam femoris partem devoluto sacco, foetusque invalescentibus motibus, extrinsecús se praebens umbilicus, valdè prominebat: Sed hic citò, confecto partu, retractus, totoque hinc ventre aequaliter corrugato, nulla praesentis herniae indicia servabat. Similem prope casum refert Cl. Ruyschius (r) in quo tamen praecesserat *circa inferiora abdominis, quamproximè inguini, suppuratus tumor integumentorum communium atque peritonaei, & ad locum apostematis, inductaeque cicatricis debilior concreti rursus peritonaei*

Ruyschiana ferè similis Historia.

 fabrica

(r) *Adverſ. Anat. Decad. II.* §. IX.

fabrica fuerat praestita : Atque ideo *uterus foetu crescente tumens, dilatabat hunc peritonaei locum , seque in saccum hunc dilatatum insinuabat eousque , ut foetus tandem cum utero ad genua usque penderet antrorsum .* Sed in nostra, cum nihil in externis tegumentis antecesserit , quod ad illam sedem peritonaeum singulatim infirmare potuisset ; ex sola uteri , se in herniam dilatantis vi, non ex majori ibidem peritonaei conniventia , extensio enormis illa producebatur . Quare nostram herniam , uteri propriam ; *Ruyschianam* verò , peritonaei potiús herniam ; appellare mallem . Interea eâdem , in utraque *herniosa* puerpera femina, Obstetricis administratione opus fuerat . Nam quoque *instantibus parturientis laboribus* (addit Ruyschius (*f*)) *elevabatur ab Obstetrice uterus cum foetu , ut in abdomine haereret tandiu loco debito , sicque felix evasit puerpera , edito per vias naturales benè nato foetu .* Jam ego *uterinas* hernias memorans , apud Fr. *Mauriceau* , si adhuc in vivis esset, multâ sanè gratiâ valerem . Hic enim plurimum suppressorum partuum , & diutiús retentorum foetuum , uteri herniis tribuere contendit: & Vassalii *tubarium* foetum , a Graafio firmatum , inter *herniosas* uteri graviditates reponens

ponens

(f) *Ibidem .*

ponens, Vassalii iconem, aliâ effictâ, inversâque *uterinarum* partium positione, reformare studet. Caeterúm haec insolita, imò admirabilis externa uteri in vitiosa graviditate productio, quae sanè inter hujus organi genuinas hernias recensenda est, mihi modò in animum revocat varias illas, seu in diversas loci differentias, ejusdem uteri internas, quae in naturalibus quoque *gestationibus* contigunt, productiones: quas ideo quoque hernias, sed tamen naturales, appellare non dubitarem. Etenim praegnantem uterum non semper in eamdem positionem ac directionem extendi producique animadvertimus. In iis feminis, quibus uterus potiús ad anteriora gradatim extenditur, primis statim graviditatis mensibus uteri tumorem manu percipimus: aut altero jam saltem mense hic omninò manifestus est: Tertio, quartove neque oculis occultari potest: sequentibus in anteriorem tantam, ac velut acuminatam molem, cum vix expansis ac dilatatis lumbis, erigitur & attollitur uterus; ut ab iis feminis, vel vivacissimum masculum, vel plures saltem foetus gestari, in vulgi ore sit: Sed si ad latera speciatim producitur uterus; sanè nec tactui, nec visui tumore suo ita promtus facilisque est: & lumborum plusquam ven-

tris ampliatio, femineum partum, non masculum, futurum esse, etiam inter vulgi nenias portendit. Quum verò omninò posteriús gravidus uterus expanditur; ejus extuberatio, quae quidem sub sacro osse atque iliis reconditur, saepiús neque septimo *gestationis* mense ad anteriora perhibetur: Nos enim interdum ad septimum mensem gravidarum, prosperaeque valetudinis Mulierum, (quae nono indé mense maturè perfectèque pepererunt) ventres contrectantes; & nihil sensibile persentientes, non esse gravidas affirmàre potuissemus. Sed ut a devio in viam. Illas in utero vitiatas graviditates, quae ex propriis ovorum, *embryonum*, aut foetuum vitiis oriuntur, & superiús in molas, falsa germina, & monstra distinximus; insuper in breviores, aut longiores in uteri hospitio foetuum moras, eorumque diutius servatorum mortuorumque exsiccationem aut corruptionem; vitiosos demum egressuum modos, hìc in ordinem expedire statuimus. A mola igitur incoeptâ disquisitione,

De Mola. Mola an a mole, tamquam inani pondere, an a graeco μῶλος, tamquam a carne informi & inutili in utero confecta, dicatur, non inquirimus. Id scire juvat, molam inter humanos conceptus esse: ut ideo innuptae castaeque feminae nunquam pe-

perisse

periſſe molas viſae ſint; licet ſaepiús parva quaedam ſanguineo-membranea uteri rejectanea, fermè molarum ſubſtantiam aemulantia, praecipuè in menſibus, rejcere ſoleant. Imo & interdum a feminis, viro vel aſſuetis vel inaſſuetis, majora durioraque excerni corpora, molarum plus ideo ſimilia, cernimus: Quae tamen vel τὰ σαρκώματα ſunt, priùs utero annexa, hinc ſoluta; vel coacti induratique ſanguinis grumi, velut membranacei imo & *lamelloſi* praeſtiti; vel tandem uteri polypi. Haec tamen apud veros, ſeu Anatomicos, Practicos ſuas diſpares notas deferunt; quibus ſingula inter ſe, atque omnia a molis diſtinguantur. Sed mola, quam bonus ſemper & naturalis conceptus antecedit, a vitioſa indè facta mendoſaque praegnatione conſtituitur. Namque, etſi mola, praecipuè ſi recens ſit, falſum quoque germen ab aliquibus dicatur, verum tamen eſt, ovum, a quo mola fit, in *ovario* foecundum jam factum, ſanum integrumque cum ſuis omnibus partibus in uterum delabi; In hoc poſtmodum loco, inter *embryonem*, vel etiam foetum jam praeſtitum, ac *ſecundinas* ipſas, nutritionis atque incrementi debitas & naturales leges, ac proportiones laedi. Foetus enim decreſcit; neque ſuccos ampliùs excipiens ſuos,

 abſu-

absumitur: *Secundinae*, vel suos non solùm, sed quoque qui foetui stati fuerant, nutritios succos sibi arrogant: vel morbosos a matre latices excipiendo, & in se cumulando, foetus succos depravant & inficiunt: ut ideo tenerrimum hocce corpusculum, ob harumce causarum alterutram aut utramque, deperire demum & absumi necesse sit; dum *secundinae* in enorme incrementum evadunt. Ita ovi in molam mutatio non ab ipsis foetus aegritudinibus plerumque aestimanda est; sed maximè ab ipsis *secundinarum* morbis, aut vitiis, eisdemque aut propriis, aut fortuitis: Morbi *secundinarum* proprii sunt, si ob propriam causam in interna earum substantia tumores, hinc succorum congestiones fiant: Fortuiti, si ab externis compressionibus impedimenta in iis, & collectiones succorum suboriantur: Vitia verò earum sunt, eademque propria, si simplicis carnis, seu τῆς ὑπερσαρκώσεως, accretio sit: Fortuita, si *umbilicalis* vena vel in trunco, vel in ramis impediatur; aut in *umbilicali* funiculo implicationes illae superveniant, quae succorum trajectum impediunt: Aliaeve fortuitae res; quibus quidem, ut & a superioribus caussis, foetum laedi, comprimi, nutricatu suo defraudari, atque ideo extenuari, tabescere, deperire, dissipari, aut

aut aliis centenis modis sensim deleri & obliterari; *secundinas* autem é converso densari & crassescere, & foetus locum aut aliquem, aut totum occupare, contingat. Nos longâ observatione edocti, solemus molas distinguere in primas, seu in recentes, nec valdè densas, sed satis adhuc cavas; in quibus foetus jam quidem mortuus est, sed non adhuc omninò absumtus & deletus; isque ab accrescente *secundinarum sarcosi* jam valdè pressus, & circumquaque extenuatus, ut Alexander Benedictus (*t*) Kerckringius (*u*) Aliique describunt: vel adeo contusus & pinsitus, ut enormiter quoque elongatus fuerit; qualis a R. P. p. m. Bernardino a Podivarino *Capucino* Medico nostroque olim discipulo observatus & delineatus, nobisque communicatus, nostris in iconibus exhibetur: *Fig. IX.* In alteras, seu *chaoticas* a nobis dictas, in quibus interiti destructique foetus partium *Fig X.* vestigia adhuc quidem apparent, sed ita dispersa, & confusa, ut pedes cum capite, oculi cum articulis, & cum articulis viscera, hìc illìc dissipata sint: In tertias, quae quidem cavae adhuc occurrunt; sed *Fig. XI.* in earum sinu nullae ampliùs foetus antea contenti, vel collectae, vel dissipatae notae

tae

(t) *De curatione Morbor. lib. XXV. Cap. IX.*
(u) *In observat. Anatom. observat.* 95.

Fig. XII.

tae visuntur: & demum in quartas, seu omnino plenas & solidas, &, obstructâ quâlibet interiori cavitate, exquisitè carneas; in quibus non solùm nullum ampliùs foetus vestigium deprehenditur; sed pristinae omnes *secundinarum* & foetus, confusae invicem partes, in unam & indistinctam massam excrevere: Hae quidem postremae molae, majoris prae caeteris magnitudinis plerumque sunt; cum sanè aliorum generum aliae, si citò non excludantur, in has quarti generis facessant; istaeque in dies crescendo, sensim abnormes moles acquirant: earum autem figura plerumque *piriformis*, seu velut *uterina* est; ab uteri enim, qui eas instar nuclei circumquaque complectitur & obstringit, similis figurae cavitate, figuram & typum accipiunt. Atque hae molae, in hac figura aliquando constitutae, commodiùs ideoque diutius gestantur: illaeque sunt, quas plures annos in utero degere Hippocrates memorat (x) Cl. *Rideux* hujus generis *piriformem* molam, 23. solidos annos a vetula quadam Monspeliensi femina gestatam, & non ita pridem cum propriis partus doloribus, & cum succedente puerperio excretam, eleganter describit, atque delineat

(x) *De Morbis Mulier. lib.* 1.

neat (*y*): Interea haec mola licèt tam vetus fuerit, & quocumque foetus atque *secundinarum* vestigio carens, suam tamen adhuc cavitatem servaverat. Illa verò, quae in nostris iconibus porrigitur, hujusce quarti generis mola, quamquam recentior fuerit, & tres solos annos in cujusdam maturae Taurinensis Feminae utero immorata sit, exquisitè tamen plena atque solida deprehensa est: Haec caeterúm nostra, non solùm externâ figurâ, sed etiam mole, & insuper pedunculo, monspeliensem illam molam, quae viginti circiter uncias pendebat, similasse visa est: hîc enim eam multo naturali minorem, ob tabulae angustiam, insculpi curavimus: ab ejus tamen ambitu quaedam elongabantur appendices, quae in monspeliensi figura non observantur: Pedunculus in uteri cervicem fuisse protensus videbatur: tum verò quae inferiores molae partes pedunculo laterales erant, super infimas laterales uteri partes, veluti basim & accubationis sedem toti ejus corpori praestabant. Hoc modo innixae sustentataeque molae, & valdè insuper auctae, atque ideo a tota uteri interna facie immediatè & aequaliter complexae, huic vasi minùs molestae Fig. XII.

sunt

(y) *In Comment. Reg. Scient. Paris. Acad. ad ann. MDCCXXXV.*

ſunt: hinc in eodem diutius, fermè nullo geſtantis Mulieris incommodo, ſtabulantur. Sed quae altiùs alligatae utero molae, totam ejus non occupant caveam, aut ſaltem imae ejus parti non accumbunt, & ab aliquo ſolùm hujus excipuli latere ſunt pendulae, hae quidem, cum ob inductam divulſionem & pondus, eidem conſtanter incommodae ſint, citiùs ad expulſionem continens hoc organum extimulant: Expulſae verò non *piriformem*, ſed aliam figuram quamlibet praeſeferre videntur. Ita quae molae in uteri fundo ſublimes ſunt, ſuperiorum plerumque viſcerum affectiones, ut nauſeas, vomitus, praecordiorum anxietates &c., quae verò ad uteri imam regionem aſſident, inferiorum potiùs vicinarumque partium, ut inteſtini, aut veſicae difficultates, interdum excitare ſolent. Veteraſcentes molae, cum ſemper deterior earum nutricatus atque incrementi conditio ſit; non ſolùm in carnes plus ſemper informes accreſcunt; ſed *veſiculoſae* aliquando, imo aquâ plenae, ſeu hydropicae aut *hydatodes*, (de quibus inferiùs, quum de humani uteri monſtris) ſaepiùs *lamelloſae*, laciniosae, *ſchirroſae*, calloſae, cartilagineae, oſſeae, aliiſve modis delinquentes fiunt. Volantes, aut aliter extra uterum ſe moventes molas, quales obſervatas eſ-

se memorant Salmuth (*z*), Zacutus Lusitanus (*a*), Aliique (*b*) nos certè hactenus non vidimus. Earum igitur fides penes Auctores sit.

Molarum indicia.

Molarum praecipua signa ista sunt: Durior ventris, & quàm in vera graviditate molestior, plerumque inaequalis, tumor est, isque citiùs percipitur: Tumidae, sed molles, ac simul collabentes mammae, modico & aquoso lacte donatae: & juxta hanc rationem Hippocratis, de molis loquentis, locus intelligendus est: *Venter plenus est velut praegnantis: Nihil in ventre movetur, neque lac in mammis generatur: Mammae autem turgidae sunt* (*c*): In femoribus & cruribus velut é contusione dolor: Lassitudo, & insolitus gravitatis sensus: urinae inaequalis difficultas: ad ima ventris loca ferè perpetuus ponderis sensus; quod quidem pondus in corporis flexionibus ad alterutrum declive latus, velut emortuum, persaepè decumbere atque concidere videtur: Elapsis primis mensibus genuinus ille solitusque, in legitimis graviditatibus motus non percipitur. Ita Divinus Senex: *Judicare verò oportet ex plenitudinis mole, & quod in ventre non move-* tur

(z) *Cent.* 3. *Observat.* 98.
(a) *Prax. admirand. lib.* 1. *Observat.* 144.
(b) *Vid. Acta Hafn. vol.* 1. *Obs.* 26.
(c) *De Morb. Mulier. lib.* 1.

tur : Nam mas trimestris ; femina verò quadrimestris motum habet . Postquam igitur tempore hoc praetergresso non movetur , hic morbus est (*d*). Hic tamen obiter adnotare liceat : Hippocraticam in foetibus ejuscemodi sensibilium motuum legem, neque quod ad temporis , neque quod ad sexus rationes, constantem esse : Quippe cum juxta dissimile foetuum robur & sanitatis gradum , nunc citiùs , nunc tardiùs in utroque sexu percipiantur hi motus . Nobilis Mulier mihi nota est , masculorum hactenus quatuor , triumque feminarum Mater ; quae eorum aequè omnium motus , vix sextâ expletâ conceptus hebdomadâ , non tantùm ipsa persensit; sed quoque Mariti manui clarè dignoscendos praebuit. Quare Mulier , si jam gestaverit , de foetuum genuinis motibus se ipsam ; si hactenus infoecunda fuerit , feminas jam matres consulat : Namque alius plerumque , idemque dispar , seu molestus motus in molae graviditate sentitur : qui certè ab uteri contractionibus & concussionibus fit . Ita hos in molis , velut *convulsivos*, semper violentos & subitos , plerumque dolorieros , & tanquam laniantium , aut saltem nitentium animalium , non quidem contenti , sed continentis corporis motus , quae jam gestarunt

(d) *Lib. de sterilibus* .

geſtarunt, feminae ſatis diſtinguere norunt a leni illo, naturali, per gradus invalente, nec valdè incommodo, foetuum motu. Adultâ demum molae *geſtatione*, venter interdum nonnihil detumeſcit: Sed cujuſdam conſtanter duri corporis ſenſus, neque placidus, ſupereſt. Demum in molis, praecipuè quae in utero altiores ſunt, & minùs ad ejus ima quieſcunt, geſtantium valetudo mulierum mala eſt, & malus corporis habitus, atque, in inverſa naturalium graviditatum ratione, in dies deterior; & cum difficili reſpiratione minùs coloratus, ad cachecticum & *oedematoſum* vergens. Tum verò frequenter, naturalium menſium loco, album, aut aliter vitiatum uteri profluvium, vel continuum vel intervallatum, ſupervenit.

Molarum retentarumqu ſecundin tur diſcrimen:

Medentes tamen, molas a retentis adhuc in utero poſt enixum foetum *ſecundinis* diſtinguere diſcant: Hae interdum in cavea matricis coërcitae, diuque ibidem commorantes, ita mutantur; ut indè excretae, ſub molarum ſpecie imponant. Saepiùs tamen ita retentae *ſecundinae*, ad uteri faciem extenuantur, & areſcunt: atque, inſtar ſuccretae, *coriaceae*, denſioris membranae, ita aptè explanatae ſunt & coalitae; ut ſinè aliqua geſtantis Mulieris noxa ſeneſcant; atque in defunctis indè ſerò Mu-

lieribus

lieribus, neque quaesitae, reperiantur. Sed a retentis, uterique faciei ita constanter instratis, *secundinis* feminae steriles fiunt: Non ita fiunt tamen, si relictae in utero *secundinae*, neque unquam excretae, sensim (quod & rarum non est) penitus absumantur. Ita semel, iterumque nobis in feminis, alia de caussa denatis, *secundinarum*, dudum sanè retentarum, substantiam, aut saltem reliquias, curiosè inquirentibus, nulla amplius earum vestigia se obtulerunt. Itaque colligere licet, *placentas*, a partu parum aut dudum in utero retentas atque indè excretas, nunquam revera molarum naturam aut genuinam formam induere. Coërcita quippe *placenta* vel in utero corrumpitur; hinc si vel integra, vel in partes soluta, excernatur aut extrahatur, constantem adhuc *placentae*, aut ejus partium, rationem servat: vel incorrupta manet; atque ideo necessariò exsiccata, contracta, extenuata, *coriacea*, neque illam carnis habitudinem, quae propriè molarum est, neque densitatem illam, neque rotunditatem, plenitudinem, aut teretem formam habere potest. *Placentulae* foetuum, duorum, trium aut quatuor mensium, si in utero a partu supersint, plerumque exsiccatae, *coriaceam* naturam induunt; ideoque minoris incommodi sunt.

Quae

Quae verò quinque aut ſex menſes attigere, interdum a preſſione uteri in carnem, molis ſolidiorem durioremque, nunc totius uteri cavitatis figuram, nunc *loboſa*, autaliterinſolita corpora,imó non raró bruta aliqua referentem, conglobantur: Quae demum maturae ſunt, aut *ſeptimeſtres*, vel *octimeſtres*, ſi diutiùs ſerventur, periculi plurimum afferre ſolent: tum verò ſaepiſſimè vel corrumpuntur; vel illae ſunt, quae etiam in *hydatides* faceſſunt. Undè quemadmodum efficta a retentis *placentis* excretaque corpora, Ruyſchius *pſendomolas* appellare conſueverat (*e*); ita coërcitas in utero vitiosè *placentas*, interdum in ſingulares *hydatides* vergere, ex eodem Auctore videre eſt (*f*). In hoc igitur genitae molae, ſervataeque *placentae*, conveniunt; quòd utraeque in *hydatides* converti poſſunt.

Quamquam a pleriſque ſit proditum, neque ſanè ego inficiar, falſum germen, ſi ultra binos, aut ſummum tres menſes in utero maneat, in molam evadere; ut ideo eorum quoque mens ſit, molam & falſum germen perinde eſſe; in comperto tamen cordatioribus eſt, falſum, ſivè men- *De falſo, communiter dicto, germine.*

I doſum

(e) *Obſervat. Anatomico-Chirurg.* XXVIII.
(f) *Obſervat.* XXXIII., *&* *Fig.* XXXIV *&* XXXV.

doſum germen a mola, naturâ & origine diſtingui. Ut enim mola *ſecundinarum* quidem, non verò contenti *embryonis*, aut foetus in origine vitium eſt; ex adverſo ſpurium germen non *ſecundinarum*, ſed foetus error primúm eſſe videtur: Morbus enim quicumque ſit, qui tenellum foetum in utero invadens (plures autem propriae hujuſce germinis affectiones eſſe poſſe videntur) eum occidat & abſumat, *ſecundinis* illaeſis, & ſtatum adhuc incolumem aliquandiu ſervantibus; is quidem falſum germen inducet. Cum verò ad ipſa plerumque conceptuum initia cauſſae, quae in falſum germen conſpirant, foetum, imo & fortè adhuc *embryonem* adoriantur, cujus quidem corpus ita parvulum tenellumque eſt, ut vix extinctum & mortuum, non ſolúm facillimè flacceſcat aut corrugetur, ſed citò deſtruatur abſumaturque & diſpareat, ſoluſque in ovo ſeu veſica liquor *amnii*, quo illud inerat, ſuperſtes maneat; ita jam ſupervacuum, atque indè oneroſum hocce extincti homuncionis hoſpitium, ſive ovatam etiam tum naturalem, ſuiſque in involucris, de more diſtinctis, & propria adhuc loca occupantibus, bene conſtitutam veſicam, frequenter uterus citòque expellere ſolet: Atque haec falſa germina ſunt: quae nempe ſub

minorum

TAB. II.

minorum aut majorum ovorum specie egrediuntur: quorum hemisphaerium alterum villosa elegans *placenta* totum adhuc, aut fermè totum obducit; & quorum tunicae a *placenta*, atque invicem, disjunctae sunt: *Amnios* verò tunica adhuc liquore redundat suo: in quo tamen nihil solidum deprehenditur. Si verò post longius *gestationis* tempus, foetus quidem extinguatur: sed ita tamen in aetatem ac firmitudinem gradum fecerit, ut absumi ac deleri ampliús non possit; ita vel integer, vel extenuatus, vel corruptus, vel in partes discerptus, integris aut etiam abruptis *secundinis*, excludatur; non quidem falsum seu spurium germen, sed abortus, atque juxta aliquos aborsus, dicitur. Caeterúm falsi germinis vesica, ut ut recens & parvula, si extincto aliquando destructoque & obliterato foetu, diutiús adhuc utero adhaereat; atque in eo immoretur; cum libera *secundinis* potestas maneat, nutritios uteri succos ad se se omnes distrahendi sorbendique, facilè saginatur, crassescit, & ultra naturalem statum densior ac fermè carnea fit: seu sibi molae naturam aliquando comparat. Ita verum est, mendosa germina in molas ipsas converti posse, si diutiús in utero serventur: Sed ita sanè conversa non sunt; donec li-

Fig. ★

TAB. I. *Fig. XI.* TAB. II. *Fig. VII. & VIII.*

quor *amnii* in eorum vesica adhuc scatet & fluitat; tunicaeque *placentaeque* distinctae invicem, disjunctaeque servantur: Propria enim molarum natura est, non solúm liquore *amnios* omnino deficere; sed *secundinas* omnes in unam, informem, atque extra omnem naturalem rationem, accretam carnem omnino confundere. Quare ad initium, mendosae istiusmodi generationes, seu falsum germen & mola, naturâ ipsoque aspectu dissimiles sunt: progressu tamen conveniunt: & falsum germen, nisi citò ab utero exeat, mola fit.

Vitiosa uteri abortiva graviditas, seu parva foetus in utero mora, cum immaturo inde partu.

Jamque, cum in *uterino* conceptu non solúm ovata totius servatur figura, sed & tunicae ovum formantes distinguuntur, & in iis servatur naturalis cavitas, & in cavitate redundat liquor, & in liquore foetus innatat; nihil certè molae aut falsi germinis est; sed foetus naturali conditione fruitur: Hìc tamen saepiús ab una caussa, aut plurimis, ita turbatur & premitur & ad exitum urgetur; ut reuera citiús, quàm par sit, seu immaturus, ab utero exeat; seu potiús a vitiosa hujusce vasis propulsione deijciatur. Intempestivus ac praecox hic partus, seu abrupta foetus in utero naturalis mora, abortus dicitur. In hunc sanè plurima conspirare queunt, cum ex parte solidarum matris partium, vel omnium,

vel

vel uteri singularium ; tum ex liquidis diversi generis substantiis ; vel etiam ex vasis angustia , vel compressione , inflammatione , duritie , laxitate , imbecillitate , lubrica nimiùm habitudine , in alterutrum latus retractione ; vel ex casu , vel ictu , vel violentis concussionibus & divulsionibus ; vel imperfecta cervicis uteri occlusione ; vel animi affectibus ; vel tandem a malis *secundinarum* aut foetuum conformationibus : Imó a liquoris *amnii* defectibus plurimis : tum etiam ab ipsa *Rachitide* , aut alia ossium , praecipuè ad pelvim , vitiata fabrica . Multa saepè contorsio *umbilicalis* funiculi, (affert Ruyschius (*g*)) a frequentiori *circumgyratione* foetus in utero praestita , cum succorum fluxus , uterum inter , *placentam* & foetum omnino impediat, foetui mortem inferens , abortus caussa est (*h*) . Cum verò statuerimus nos , in hac brevi Historia solos vitiosae graviditatis effectus percurrere , causarum disquisitionibus aliò servatis : liceat ergo nunc solùm asserere , abortuum causas saepè vivum adhuc foetum foras expellere ; saepè , dum expellant , aut antequam expellant , interimere ; interdum quoque non tantùm interimere , sed , antequam expel-

(g) *Observat. Anatomico-Chirurg. XI.*
(h) *Eodem loc. Fig. XIII.*

latur, abrumpere & in partes diſcindere. Cum verò primae abortuum claſſis plura ſuperiùs in I. Tabula exempla haberi queant; foetuum videlicet adhuc viventium, cum immaturè ſunt parti; atque inſuper alterius abortuum generis excluſus foetus eodem loco exhibeatur; Quum nempè, & tenerrimae aetatis, cuilibet leviori offenſae facilè ſuccumbentis, ratione, & imprimis ob malam, neque ipſo ſolùm abortus momento natam, *chorii* & *placentae* conformationem, jam ante partum fuiſſe extinctum, certiores ſumus: Hîc tertii ordinis abortum ſub oculos ponimus: illum nempè, in quo non ſolùm ante partum perijſſe foetum, ſed quoque toto corpore ſolutum atque diſcerptum fuiſſe, conſtat.

TAB. I. *Fig. XIV. XV. & XVI.*

Fig. XI.

Hiſtoria ſingularis Taurinenſis abortus.

Honeſta Mulier, aetatis ſuae XXXXV. annum agens, ſanorumque aliquot filiorum Mater, ad finem Auguſti menſis proximè ſuperioris anni, ſe duorum menſium gravidam eſſe affirmabat: Gravis & obeſa, ſe multùm defatigaverat; & corporis violentas flexiones ac concuſſiones paſſa fuerat: ab aliquibus hebdomadis expube dolebat & lumbis: improvisè aborſa eſt: partumque ovum ad noſtras aedes tranſmitti curavit. Nos pro duorum menſium foetu ovum exile eſſe judicavimus. *Chorion* verò *placentae* ſuperſterni, admirati fuimus:

TAB. II. *Fig. VII. & VIII.*

Fig. VII. a. a. b. b.

Hoc

Hoc insuper a subjecto *amnio* facillimè expediebatur: Quo igitur sejuncto diducto- c.
ctoque, ponè summè perlucidum ad liberam suam partem *amnium*, confusae foetus partes transpiciebantur. *Placenta* verò utrique intermedia, jam valdè coacta erat
& densa; integra tamen adhuc & illaesa. d.
Aperto *amnio*, en *chaoticam* partium omnium foetus dissipationem. Putridae om- Fig. VIII.
nes erant; & dudum fracidae disjunctaeque vix consistebant; in liquore *amnios* singulae velut fluctuantes. Caput
cum collo divulsum erat, & a trun- a.
co dissitum: corrupta lingua & soluta:
Semotae dorsales vertebrae & costae: lum- b.
bares cum cruribus confusae: Corculum c. d.
dispersum & dissitum: hepar collo proximum: corrupti ac fluitantes pulmones: e. f.
dispersa alia viscera atque intestina: De- g. h.
mum *umbilicalis* funiculus plùs caeteris partibus servatus, intestinorum glomerem
angustè subiens; sed versùs *amnium* dila- i. l. m. n.
tatus, ac velut in plures inflexas zonas expansus. Caeterùm a dudum sublato per foetus necem ac corruptionem nutricatu dignovimus, quamobrem ovum ad solitam duorum mensium amplitudinem non devenerit. Dignovimus insuper, quanta *secundinarum* sit firmitas: quae nempè tantae solutionis causis restitére. Haec sanè fir-

mitas vel in ipſo *ovario* conſpicua eſt: quae tamen ſingulari naturae providentia in maturo partu labaſcitur; levique abrumpenti vi facilè cedit.

Vitioſa uteri graviditas, abortivae graviditati oppoſita: Seu quâ foetus diutiùs in utero coërciti, plerumque exſiccantur; aut putreſcunt: variique eorum exitus.

Nunc ex adverſo, ad nimiam, ſeu quoque vitioſam, foetus in utero moram accedentes, undè, partubus ad debita tempora non celebratis, mori, atque inſuper ſolidis ſuis partibus alterari coërcitos foetus, ſeu exſiccari vel putreſcere, plerumque contingit; atque omnibus δυστονίαις cauſſis hìc loci pariter omiſſis; aliquod exemplum vitioſae hujuſce graviditatis ex innumeris per Auctorum Codices diſperſis, & noſtrum quoque aliquod, ſeligemus. Atque ut illa uteri praecipuè habitudo, quâ ad exitum lubrica, directior faciliſque via fit, foetum citiùs eijcere ſolet; ita oppoſita, undè obſtrictus aut inflexus, atque ita difficilis ſit aditus; coërcet diutiùs & retinet. Idcircò foetuum debito tempore non partorum cauſſa, praeterquam in inſolitis cervicis uteri oſculique reſiſtentiis, in internis vitioſis ejuſdem uteri inflexionibus ac velutiproductis *ſacciformibus* latibulis, ſeu veris, ideſt non naturalibus, interniſque herniis, potiſſimúm ſita eſt. Ejuſmodi *hernioſas* uteri productiones, inductas frequentiús vidimus ad loca introitus tubarum: ubi quidem haec cavea obtuſum

quemdam

quemdam utrinque angulum, & velut sacci fundum praestare solet; tum involucris atque parietibus subtilior est. Hi porrò interni sacci arte manuque comprimi, atque reduci non possunt, atque ita contenti implicatique foetus foras ab eorum gremio urgeri; ut in Taurinensi Femina, exteriori hernia in graviditate detenta, fieri superiús diximus. Retenti in utero foetus, si ita arcto clausoque per tunicas sacco involuti sint & coaliti, ut cum externo maternove aere nullum aut minimum commercium admittant, vel mortui, non solúm diu incorrupti manent, & saepé innoxii (*i*); sed lentè saepiús exsiccantur: Exsiccati, cum utero minús molesti sint, diutiús servantur (*): imo saepiús nunquam excernuntur. Prae tot aliis exsiccatorum in utero foetuum exemplis, celebre illud est, ab Albosio ac Provancherio sub *lithopedii* nomine traditum (k): in quo foetus naturale graviditatis tempus rectè transegit: maturus, in partum frustra nisus est: hinc obrutus, simulque a nutricatu solutus, moriebatur: Postea in eadem suae accretionis sede exsiccatus, ac velut in lapideam duritiem evasus, uteri angulo (seu sacco) suis induratis tunicis omnino coër-

(i) *Schellam. Misc. cur. dec. II.*

(*) *Vid. Bautzmann. Misc. cur. dec. III.*

(k) *Portentosum Lithoped. &c.* 1581., *& in fine libri Rosseti de Caesar. Part. &c.*

cruciamentis ſupervenit: Poſtmodum diuturnus partus incipiebat. Sanies etenim, carnes, putridaque liquamina, atque exindé oſſa ipſa, per vaginam & pudenda deijciebantur. Oſſa verò, quae exibant, adhuc ex minoribus erant, & praeſertim ex iis, quae oblonga ſunt; ut coſtae atque exiliora oſſa artuum. Adhaec inflammatio uteri, atque indè febris doloreſque valde ſedabantur: & foetus partium egreſſus fauſté leniterque incedebant: ut multa ſpes eſſet, reliqua omnia & praecipuè majora oſſa, per longum, ſed tandem completum partum excernenda fore: quum malis omnibus repentè recrudeſcentibus, & quâlibet ex utero ſuppreſsâ evacuatione, mater, ventre enormiter tumida, moriebatur. In aperto cadavere infortunium, neque expectatum, neque imò cogitatum, ſe pandit. Coſta major, ſuo extremo ad *uterini* oſculi latera ſe infixerat: Infixae coſtae tanta illius tenaciſſimi, in hoc loco redundantis, & in graviditate claudentis atque obſignantis, ſucci concreverat copia, ut oſſeo huic extremo duriorem *tophaceam*, imò calculoſam molem, inſtar coaliti globi,
Fig. VI. circumduxerit: Atque ita murum oſculo inſuperabilem ſtruxerit: undè inchoati partus ſuppreſſio, atque irreparabile parturientis feminae lethum ſequutum eſt. Majora

caetera-

caeteraque ossa, jamque disjuncta & ad partum properantia, in uteri cavo reperta sunt: Quae omnia, & imprimis delinquentem costam, humanissimus Vir mihi tradi curavit. Caeterùm mortuorum in utero foetuum, diuque retentorum; postea integrorum adhuc, vel si intaminati, vel corrupti marcidique fuerint, nunc incolumi, nunc etiam non incolumi matre depulsorum, ubique observantur historiae; & nobis aliisque in frequenti praxi sunt. Qui verò foetus in utero per corruptionem soluti, discinduntur partibus, plerumque Chirurgorum manibus atque instrumentis indigent.

Foetus vel mortui, vel vivi, diutinâ molestâque graviditate gestati; hinc per naturalem partum editi.

Atque hic operae pretium esse sentio, tardiores aliquas, simulque valde incommodas *gestationes*, naturali tamen partu exceptas, velut in appendicis modum, per exempla referre: Quibus scilicet foetus, vel ante maturitatem mortuus, diùque incorruptus, serò tandem per succretorum aliorum conceptuum communem partum editus: vel longo post obtentam maturitatem tempore vivus in utero servatus, naturali quoque, sed tardo admodum partu, aliquando natus est. *Catharina* Rubea, Taurinensi Agro habitans, jam plurium natorum mater, Septembri mense anni 1738. a tribus mensibus gestare utero, in-

Taurinensis historia foetus in utero mortui, diùque incorrupti, tandem

diciis

post novum gemellorum conceptum, gestationem *& partum, sero, iisdemque communi, partu exclusi.*

diciis omnibus pro certo habuit: quum subitâ aliquorum dierum *uterinâ* haemorrhagiâ, simulque ventris atque lumborum doloribus, eorum, qui in partu sunt, revera similibus, correpta est. Quibus sedatis, tumidus venter superest, & tensus ac durus uterus, molestus harum partium sensus, & frequens deijciendi stimulus. Mox menstrui, trimestri illo tempore suppressi, fluxus jam redeunt: & ad usque Martium mensem sequentisa nni 1739. adamussim prosequuntur: ut foetum in haemorrhagia illa irritisque pariendi nisibus, morti occubuisse, omnino censere debeamus. A Martio mense, suppressis denuo *catameniis*, mulier iterum concepisse percepit: & ad usque proximum elapsum Decembrem molestissimam graviditatem ferens, 22. ejusdem mensis die maturos vivosque geminos enixa est: Postea foetum mortuum peperit: cujus magnitudo trimestri respondere foetui revera visa est: Hujus universum ferme corpus sanum & integrum, mollesque, velut in recenter mortuo, carnes erant: optimèque servata integumenta singula. Solus venter ad recentem livedinem vergere videbatur. Caput nonnihil explanatum erat. Os instar avium rostri valdè productum; in quo quatuor jam dentes, iidemque *incisores*,

emer-

emerſerant. Ex iis porrò colligere eſt, mortuum olim, & ab uteri nexibus ſolutum jam foetum, a primis illis uteri ad partum fruſtraneis contractionibus, in alterutrum eorum angulorum, qui tubarum ingreſſui reſpondent, fuiſſe propulſum & coactum; hinc a nova ſuccedente graviditate, firmâque idcirco ad *uterinam* cervicem inductâ occluſione, ab aeris commercio ideoque a corruptione illaeſum ſervatum; poſtmodum a grandeſcentibus gemellis, praecipuè ad ampliorem partem ſeu caput, compreſſum; demum a noviſſimi partus conatibus é ſuo profundiori hoſpitio & latibulo, poſt illorum propulſionem unà pariter quàm validè ſuccuſſum & excluſum. Dentes, inprimis teneriores, qui ſanè aliâ, quàm reliquum corpus, vitâ frui videntur, vel poſt infantium mortem, excreſcere in iis poſſe, atque ex alveolis prodere, non inſolitum eſt. Nunc ad graviditatem alteram, ultra debitum tempus impensè protractam, gradum faciens; in qua tamen vivus ſanuſque foetus ſuperfuit, & tandem per naturalem partum eſt editus; an iſtiuſmodi graviditates, quarum indicandum exemplum unicum fortaſſe non eſt, inter vitioſas recenſendae ſint, híc modò non decernam. Saltem hujus generis graviditates, tranſgreſſo naturali tempore, moleſtae

ſtae

ſtae admodum ac laborioſae ſunt. Non ita pridem Hiſtoria a Lugdunenſi Panthoto ad Celebrem *Daquin* Galliae Regis Archiatrum conſcripta, atque jam dudum volanti folio evulgata, mihi in manus pervenerat. In hac deſcribitur foetus ſequioris ſexus, poſt graviditatem viginti duorum menſium cum dimidio, validus vegetuſque; fortiorique & graviori voce, quàm in novem menſium conceptibus ſit; non majori tamen ſuper eoſdem mole corporis, a robuſta matre ann. 1693. in lucem editus: Qui tamen duas ſolùm horas a partu ſupervixit. Interea longis jam capillis unguibuſque erat; dentibus ad albidas jam gingivas eruptioni paratis; duro cranio; durâ pelle; & corpore, ut in trium annorum infantibus, formato ſolidoque: Ejus *placenta* valde exſiccata, & tamquam *coriacea* viſa eſt. Mater totâ graviditate, uteri ſanguineum fluxum eſt paſſa: Nono menſe accerrimos ad partum conatus habuit: Ita & undecimo; & decimotertio, decimoquinto, decimoctavo, & vigeſimo: Ante hanc *geſtationem* ſex filios, naturalem in utero moram emenſos, rectè pepererat: Demum poſt hanc, ſi vitioſam non dicam, prodigioſam ſaltem graviditatem dicam, octavum filium naturaliter ſuſtulit ediditque: Poſtmodum verò in inſolitam rurſus

Hiſtoria foetus, menſes viginti duos cum dimidio vivi ſanique utero geſtati; & a Matre naturaliter editi.

gravidi-

graviditatem incidit; excluso aliquando alio foetu, post octodecim mensium graviditatem, longis quoque capillis; & (quod praeclariùs) multis jam eruptis dentibus instructo.

Vitiosa uteri graviditas, quâ per discissum uteri fundum, aut cervicem, aut superiorem vaginam, interior sit partus, matri semper mortifera est.

Sed si foetus vel in immatura, vel matura, vel vitiosè prorogata graviditate, quodcunque sit oris uteri obstaculum, ab ejus cavea, per fundi, cervicis, aut etiam superioris vaginae ruptionem lacerationemque, in aliquam ventris regionem adigatur; isque vel jam corruptus, vel recens mortuus, vel quoque, si contingat, adhuc vivus sit; matrem certè a tanto uteri, ejusque partium vulnere, brevi frigidam, frigidèque sudantem, convulsam, instar cadaverum pallentem, a ventre enormiter dolentem & tensam, deliquiis obsessam indèque *lypothimiis*, praecedente insuper plerumque obitum pulsu omnem explorationem fugiente, atque ad ἀσφυξίαν redacto, seu cum solitis internae lethalis *haemorrhagiae* symptomatibus, mori necesse est. Moritur verò, etiamsi contingat, foetum in ventris cavitatem illapsum, aut mortuum, aut etiam vivum, per caesaream operationem protinùs educi posse. Memini, a Peritissimo in obstetricii opere, Expertissimoque olim Chirurgo nostro De *Roy* audiisse: Pauperculam quam-

Historia funesti in hac Urbe interioris partus. dam nono graviditatis mense irritis partus conatibus duos integros dies accerrimè conflictatam, tertio tandem intùs ad sinistrum ilium cum uteri ruptione peperisse: Eventum hunc ipsi, auspicatò tunc astanti, fuisse satis perspectum, ex illicò cessatis conatibus, crebris matris supervenientibus deliquiis, subitoque ad ilium surgente tumore, atque ad hunc locum sensili quodam ad tactum foetus motu: tunc sinè ulla haesitatione tumoris locum caesareâ operatione ipsum aperuisse: foetumque, adhuc vitae signa edentem, fuisse extractum: Matrem sublevari visam: sed post aliquot horas mortuam: In cadavere ruptam uteri cervicem: Multumque sanguinis in ventre repertum: Irreparabiles necis caussas. Quamobrem quaecunque istiusmodi disruptionum uteri & illapsus foetuum, vel toto corpore vel aliquibus eorum partibus, in inane abdominis pervolutantur historiae, quae quidem non paucae sunt; hae omnes non sinè subito, aut saltem non sero, matris obitu describuntur; vel si per simplicem subitamque inductam lacerationem; vel si per praeviam, atque in hujus vasis solutiones lentè procedentem, traductamque a foetu in uterum, aut primùm in utero natam, corruptionem, uterus apertus fuerit. Ita

in

in Historiis Ephem. N. C. plurimis: Ita apud Salmuthum, Fabr. Hildanum, *Mauriceau*, Plazzonum, Knoblochium, Primerosium, Loescherum, Stalpartium, Witzelium, Faustium, Maur. Hoffmannum, Reiselium, *Roonhuysen*, *Courtial*, Heisterum, Santorinum, Pistorem, totque alios: Ita & in casu, Historiae Mussipontani foetus adjecto; in quo gestans femina fragorem ipsum ruptionis uteri audivit: Quod certè *Phenomenon* aliis quoque infelicibus Matribus evenisse legimus. Imò vel si solùm cum foetu contento suppuret uterus; praegnantes etiam moriuntur. Ita Rossetus (*o*), Augenius (*p*) Aliique.

In vitiosa uteri graviditate partuque, superiores vaginae ruptiones totae lethales sunt: aliquae vero inferiores non lethales.

Quod ad uteri vaginam speciatim attinet: si haec in partu ad superiora loca abrumpatur, ubi cum recto intestino non adhuc continua, sed membranaceis solùm fibratisque connexibus contigua est, sanguinem in ventris caveam effundit: Atque cum altiorem vaginae sedem plures adhuc majorum *spermaticarum* atque *hypogastricarum* arteriarum fasces componant, haec sanè neque minor erit effusio, quàm quae ex fundi, aut cervicis uteri laceratione habeatur; nec minùs ideo Matri lethalis erit: Cui quoque eae omnes accedent aerumnae, quae

(o) *De part. caes. sect. VI. Cap. II.*
(p) *De homin. part. lib. II. Cap. XXVII.*

quae a foetu in inferiorem, aut etiam superiorem ventris caveam illicò illabente suboriantur. Imò vel si inferior vagina abrumpatur, quae nempe pudendis vicinior est; quamquam haec non tam grandibus sanguineis vasis referta sit (*q*): nisi illo forté loco abrumpatur, ubi cum recto intestino continua est, si non subitò, citò tamen, lethalem quoque haemorrhagiam inducit: Cum fusus hic sanguis nullibi corrivari queat. Ita ante aliquot annos juveni cuidam Mulieri, tunc commoranti, ubi nunc magnificum Regiumque Provinciarum Collegium erectum est, in matura graviditate difficilique partu, quandam ab Obstetrice violentiam passae, vaginae latus versùs pudendum infaustè abruptum est: hinc totâ internae funestae *haemorrhagiae* superveniente pernicie, statim Andreas Verna, publicus *Incisor* noster diligentissimus, atque in obstetriciis peritissimus, advocabatur: qui advolans, expirantem invenit: postea in cadavere foetum in pelvi mortuum; ruptam interiùs vaginam; ventrem autem sanguine inundatum, invenit. Sed si quo latere vagina recto intestino coalita & adnata, unum cum eo corpus constituit, ita faustè discinditur; ut sanguis é vulnere erumpens, foras

Taurinensis historia lethalis in partu vaginae disruptionis.

(q) *Vid. Ruysch. fig.* 69. *ad* LXXXVIII. *Observat. Anatomico-Chirurg.*

ras é corpore per anum eliminetur; Mater, si robusta sit, é plaga evadere; & foetus non in ventris caveam, sed in anum erumpere, atque per ipsum foras educi poterit. „ Accersebar (scribit ad nos Peritissimus Savilianensis Chirurgus Giacherius) die XIV: superioris Maii mensis „ Monasterolium, tribus milliariis ab hac „ Urbe dissitum, ut Joannam viserem Josephi Truchi Uxorèm, aet. ann. XXXV., „ valde obesam feminam; jam a quinque „ diebus acerrimis partus doloribus pressam: Cujus, a me commodiori loco „ dispositae, genitales partes explorans, „ velut é limine occlusas inveni: Adhaec „ foetus capitis sinciput ad valde dilatatum ani orificium tetigi inspexique. „ Quum veró ipsum (de naturali partu „ adhuc cogitans) summis digitis in uteri caveam repellere contenderem; ingens statim sanguinis copia per anum „ effluxa est. Pudendas indè partes & insolitum earum claustrum manu mihi „ curiosiùs inquirenti, fortis occurrit membrana, transversim obtenta, totumque „ externum uteri orificium, seu vaginae „ introitum occupans: Hanc verò promtè discindens, & manum in vaginam inducens, digitos per statim repertam scissuram, recti intestini & vaginae caveas

Pedemontana Historia ruptae inferiùs vaginae, simulque inferioris recti intestini, cum foetu per anum extracto, matreque sanitati restituta.

„ veas communicantem, ad uſque anum „ ita liberè detuli; ut aſtantes ipſi eos ex „ hoc foramine erumpentes viderint. Cum „ verò lividam vaginam, aliaſque adjacen- „ tes partes inflammatas & rigidas, ac ve- „ luti ſpaſmo contractas, anguſtamque „ adeo viam, ut naturali partui inepta eſ- „ ſet, animadverterim; curvum ferrum „ accipio; ipſoque in anum introducto, „ interpoſitum vulvae & podici perinaeum, „ uno ſtrenuè ictu divido: atque per ita „ apertam ſemitam vivum adhuc foetum, „ luſtralibus indé aquis feliciter exceptum, „ extraho. Abſoluto obſtetricio, puerpe- „ perae auxiliarem indè porrigens operam, „ eam, poſt duos menſes ſolâ Samaritani „ Balſami introductione atque ablutione „ optimae valetudini reſtitui admirabar. „ De membranae ortu, facilitate partus, „ Matriſque incolumitate ſagaciſſimum tu- „ um, quo nos in arduis rebus dirigis, ju- „ dicium eſto &c. Saviliani X. Novembris „ 1737.„ Membranam hanc praeternatu-ralem quaedam fortè vulvae decorticatio produxerat: ut ſimilis quoquenata eſt in gravida Muliere apud Ruyſchium (*r*), quae certè parere non potuit, donec haec quoque membrana inciſa fuerit: Sed haec noſtrâ felicior puerpera, partum adhuc naturalem obtinuit

(r) *Obſerv. Anatomico-Chirurg.* XXII.

obtinuit. Porrò si Giacherius noster tam citò, ut cum sociis Ruyschius, fuisset advocatus; promtâ fortè, non secus, incisione membranae, illam in anum vaginae disruptionem avertisset.

Vitiosa in interna tubarum cavitate graviditas, semper lethalis, si tuba abrumpatur.

At verò non sola uteri plaga internos partus lethales efficit. Graviditates, quae in interna tubarum cavitate, internâque *ovariorum* substantiâ fiunt, cum per inductas, vel primis ipsis conceptuum temporibus, harum partium lacerationes, Matri pariter mortiferae sint, idcirco internis quoque vitiosis graviditatibus hìc a nobis recensentur. Ut verò non insoliti sunt *testiculares* istiusmodi conceptus; ita creberrimi *tubarii* sunt: utrique verò suapte naturâ in internos lethales partus abeunt; nisi forté fortunâ, foetibus, non tantùm ante maturitatem, sed ante notabile quoque incrementum, sensim exsiccatis & tabescentibus, hae partes ad illam non perveniant extensionem, quae non siné ruptione, ut ruptio non siné Matris excidio, est: aut saltem ita lenté extendantur, ut tanta illa, neque exilia, vasa, quae has partes componunt, sensim quoque extendantur; tum verò extensioni suaviter assuescentia, in lethales scissuras non deveniant. Tantae enim eaedemque insignes *spermaticae* atque *hypogastricae* arteriae has partes perrepunt & in-

ſtruunt; ut vel ex levi harum laceratione, lethalem *haemorrhagiam* evenire oporteat. Ita in illa, prae aliis recentiſſima, *tubaria* graviditate a Cl. Santorino deſcripta, & icone expoſita, (*ſ*) diſruptioni tubae, quae tam exigua erat, ut vix panici grani diametro major eſſet, tanta paulatim ſanguinis in ventris caveam ſucceſſit effuſio; ut Mater citiſſimé, cum iis, quae internas funeſtaſque *haemorrhagias* ſectantur, malis, fato occumbere debuerit. Interea in hac femina, quamquam valde ampliata tuba eſſet, contentus tamen foetus, quem
Fig. IV. quoque inter noſtras icones híc deſignari curavimus, minimus ſané cum imperfectis, imò vix inchoatis, artubus fuerat. E converſo in illo, quem Cel. *Du Verney* reperiit (*t*) atque delineavit, (*u*) *tubario* conceptu, foetus multis vicibus illo major, & major quoque tubae dilatatio fuerat: neque tamen lethalis iſtiuſmodi laceratio ſanguiniſque eruptio ſubſequuta eſt: (cum Mater, ipſo teſtante Scriptore, longé aliâ cauſsâ, ſeu caſu, indéque ſubortâ lethali febre, perierit) ſcilicet, quia foetus lenté conſumtus fuerat, ut conditi exſiccati-
que

(ſ) *Obſervat. Anatom. Cap. XI. §. XVI. & Tab. II. Fig. III.*
(t) *Anno MDCLXXXIX.*
(u) *Hiſtor. Acad. Pariſ. Reg. an. MDCCII.*

que cadaveris speciem referret: ipsaeque feminae gestantis tubae paulatim quoque induratae tunicae, non solùm ruptioni restiterant; sed insuperabili pressione crescentem foetum ita forsan consumpserant. Caeterùm hanc quoque *Du Verney* figuram hìc nostris adjecimus (quamquam illâ ab Auctore expositâ multò minorem incidi, ob Tabulae angustiam, oportuit) ut, quod operae pretium putavi, quemdam expungi temporis errorem contingeret. Namque cum hic Santorini foetus ita exiguus & imperfectus, vel nostris triginta dierum foetibus sit minor; non intelligimus, cur ipsi Auctor tantam, seu quinque mensium, aetatem tribuerit. Ratio verò ingentis adeo in quinque mensium foetu exilitatis, quam *loci angustiae ad aequum suppeditandum alimentum longè impari* (*x*) referre nititur Vir. Cl., nullo sanè pacto admittenda est: Quippe cum *Du Verney* foetus in durioris sicciorisque, magisque resistentis tubae claustro coërcitus, sexies & ampliùs hoc quinque mensium foetu sit major; quamquam septuaginta solùm dierum esse judicatus fuerit: & tamen, ut in *Du Verney* figura videre est, foetus ille a tunicis strictim involutis implicatisque, omnino constrictus extenuatusque *Fig. III.*

que

(x) *Iisdem observat. Anat. Cap. XI. §. XIX.*

que fuerat: Santorini verò foetus in liberrimo amplissimoque spatio, mollique & succosa tuba depromitur: & insuper rotundus & pinguis,& succis ita saginatus, ut nullam eum nutricatus jacturam fuisse passum, appareat. Si igitur hic quinque mensium fuisset, quid ipsi naturalem nutritionem atque accrementum vetare potuisset? Loci angustia alimento impar? Sed cur haec, praeterquam foetus *Du Verney*, foetus quoque Vassalii incrementum non impediit; qui nempe tribus aut quatuor vix mensibus ita in tuba auctus est, & artubus totoque corpore absolutus, ut Santorini quinque mensium foetum ter ad minùs magnitudine superare, ex ipsa Vassalii icone, Graafio probata, videatur (*y*)? Cur haec angustia membrorum & artuum completam jam fermé operam vetare non potuit, in illo sex solùm hebdomadarum a Littrio exposito *tubario* conceptu (*z*)? Cur non in iis, quos refert Riolanus (*a*), qui *benè optimèque conformati erant*? Cur non in aliis creberrimis, qui in tubis plùs certé, quàm hic Santorini, aucti, & tamen aetate minores, a tot Auctoribus describuntur? Nam praeter has, quas ex Vernejo

(y) *De Mulier. organ.*

(z) *In Reg. Paris. Acad. ann. MDCCI.*

(a) *Anthropogr. lib. II. Cap. XXXV.*

Vernejo & Vassalio diximus, alias insuper istiusmodi internarum tubae graviditatum vidit idem Vernejus: vidit quoque, pluresque Recentes & Veteres retulit Riolanus filius: viderunt, aut descripserunt, Harveus, Deusingius, Tilingius, Graafius, *Elsholz*, Marquardus, *Huxholtz*, *Dionis*, Paitonus, Gallicae Eruditor. Ephemerides, Anglicae, Germanicae, tum & Lipsienses, aliaeque. Quod verò rei caput est: dignoverunt omnes, ejuscemodi ad intimam tubae caveam *gestationes*, semper gestantibus feminis fatales fuisse; si tuba vel minimùm dilaniata fuerit: dignoverunt autem, gravidas internè tubas citiùs quidem vel tardiùs, at verò certissimè dilaniari; nisi hae cum implexo foetu ita arescerent, at velut callosae fierent; ut non tam foetus nutricatui, quàm propriae lacerationi ineptae redderentur. Porrò autem scisčitanti, cur hìc celebrem *Bussiere tubarii* foetus Historiam (*b*) non memoraverim? Reponerem: Hanc a praeclaro Viro traditam, & ab omnibus hactenus ad *tubarios* internos conceptus revocatam, meo quidem judicio neque *tubarii*, interni aut externi, neque *testicularis*; sed neutri; imò potiùs naturalis, seu non vitiosi conceptus esse. Cum enim in hoc casu tres ovi

(b) *Act. Philos. Ang. MDCLXXXXIV.*

ovi quadrantes partes jam extra *ovarium* in tubae tentorium fuissent illapsae; & quarta pars adhuc *ovario* insistens, ei per pediolum nexa esset; & Mater, ante completum ovi in uterum progressum, subitâ supplicii morte sublata fuisset: ipse reor, nisi illa subitò interempta fuerit, connexionem illam cum *ovario*, insolitam quidem, sed non gravem, brevi dissolui, ovumque in uterum per amplam, & firmiter *ovarium* amplexantem tubam, liberè traduci aliquando potuisse. Sed haec jam superiùs indicata sunt.

Vitiosa alia interna graviditas, seu ovariorum interior: quae semper Matri lethalis est.

Nunc animadvertere oportet, vitiosarum in internis *ovariis* graviditatum conditionem, deteriorem adhuc esse, quàm in ipsis internis tubis videatur. Quippe cum internae *tubariae* conceptionis foetus, Matris vitae interdum parcant; nimirum quum exsiccantur: sed in *ovariis* internis nunquam parcunt: quoniam semper in iis ita molles humidique servantur; ut ad illum, qui Matres eximat, exsiccationis gradum pervenire non possint. Propria enim *ovariorum* substantia, substantiâ tubarum humidior est: quae prima, licèt similia, ex *spermaticis* pariter & *hypogastricis* sumpta, obtineat vasa; re tamen vera magis implicatis atque reticulatis vasis donata, majoris succorum morae, indèque

indèque & eorum copiae, caussa est. Imò cum densius, ut patet, prae tubae fistula, teretis solidique *ovarii* sit corpus; hoc ideo valde minùs tubâ, quin abrumpatur, extendi potest: Eò verò pejor in hac disruptione *haemorrhagia* est; quò in *ovarii* centro seu interna substantia, vasa sanguinea majora sunt: quae indè ad circumferentiam in ramos minuuntur (*c*). Quapropter cum in propriis susceptis *gestationibus* citiùs multò, quàm tubae, abrumpi ac dilaniari *ovaria* contingat, ut ideo adhuc tenelli & valde parvuli contenti foetus, erumpere, matresque occidere adigantur: Hac de re *testicularem* foetum bimestri majorem hactenus nemo perspexit. Primus, quod sciam, *testicularium* conceptuum Medicorum memoriae traditus, ille est, quem a Doctissimis proximè elapso saeculo Abbatis de *la Roque* Ephemeridibus (*d*) colligimus: Hic in dextro *ovario* coërcitus, atque in foetum explicatus, postea cum ingenti laceratione, & sanguinis effusione, in ventris caveam eruptus, vix pollicis magnitudinem aequans, genitricem subitò interemit. Alias istiusmodi graviditates, matribus brevi funestas, cunctis aliis superioribus

(c) *Vid. Tab. XX. Fig. VI. Tom. 1. Bibl. Anat. ex Graafio.*

(d) *Ex Diario Gall. ad ann. MDCLXIII.*

perioribus ſaeculis eveniſſe non dubito: Sed ob non ſatis adhuc perſpectas illis temporibus genitalium muliebrium partium fabricas atque functiones, rariſſimaque, imò fortè nunquam habita, ita defunctarum feminarum extiſpicia, quas ideo Medici ex impedito potiùs ipſius uteri partu, quàm ob alienam ab utero graviditatem, morte occumbere putabant, hocmali genus ad uſque has aetates in latebris relictum fuerat. Sed poſt primam illam hiſtoriam alias quoque ſimiles graviditates, internoſque indè lethales partus indicarunt Zodiacus Medico-Gallicus (*e*) D. *de S. Maurice* (*f*) Vieuſſenius & *Montagnier* (*g*) hinc Littrius (*h*) Aliique.

Vitioſa intermedia graviditas, ſeu ovariorum *externa; quae matri plerumque lethalis non eſt.*

Interea dum nobis ita perſpectum atque compertum erat, habitos in muliebri *ovario* conceptus, valde progredi non poſſe; ſed interno celeriter excitato abortu, matri quàm promtè fatales eſſe: quis credidiſſet, nos recèns inductam hanc ſcientiam aliquando refutare debuiſſe; atque a novis obſervationibus ediſcere, has eaſdem graviditates, in eodem *ovarii* corpore

(e) *Eodem anno*.
(f) *Ann. MDCLXXXII.*
(g) *Diſſert. de ſtruct. & uſu uter.*
(h) *Hiſtor. Reg. Scient. Acad. Pariſ. ann. MDCCI.*

re, nonnihil immutatâ vix ſede, naturam quoque immutare; & ab iis foetus, aduſque completum incrementum ferri; & in iis internos indè maturoſque partus ſinè matris excidio celebrari? Haec ſanè prorsùs contingunt in illa *ovarii geſtatione*, quam intermediam vocamus; ſeu quae inter ſolidam propriamque *ovarii* ſubſtantiam, atque ejus tunicam ſuccingentem fit: Ut hanc ideo vitioſam intermediam graviditatem dicamus; quoniam ab hujus partis memorata hactenus interiori, & inſuper a vitioſa externa, ſeu *ventrali* graviditate, intermedio velut modo diſtinguitur. Sed quoniam ad hujuſmodi ſingularem illuſtrandam graviditatem, uti exemplis conſultiſſimum eſt: Accedit igitur celebris altera Taurinenſis Feminae vitioſa extra uterum graviditas: Quam eò curiosè ac ſingulatim deſcribam, quò ſui generis primam puto. Namque ſuper omnes, quae hactenus innotuerunt, in *ovariis* graviditates, videtur haec ſanè recenſenda; quae nova, neque ante hunc diem alibi, quòd ſciam, viſa eſt: in qua foetus non ſolùm extra uterum XV. propè annos recens ſucciſque redundans, ſimulque incorruptus ſuperfuit; ſed idem quoque duas in eadem femina diſtinctis ſedibus *geſtationes*, & primam (quod mirum eſt) in *ovario* omnino maturam, ſuſtinuit.

Taurinenſis

Historia externae in ovario graviditatis, indèque ventralis *externae, in Taurinensi Femina.*

Taurinensis Mulier, postquam binos debitéque maturos conceptus duobus partubus marem feminamque, vivos edidisset, septem deindè annis absque graviditate transactis, anno MDCCXIII., Majo incipiente mense, cum trigesimum aetatis annum ageret, tertiò concepit. Omnia naturalis graviditatis signa, quamplurimis incommodis & morbis conjuncta tulit. Suppressis mensibus, venter pedetentim excrevit; sed magis ad dextram *hypogastricam* regionem: Sinus pariter tumidior apparuit. Initio graviditatis acerbos & ferè continuos ossis sacri, lumborum ac totius infimi ventris dolores sustinuit: nauseae, animique non gravia deliquia, constantia fuere. Quinto circiter mense, foetus motiones aliter, quàm in anteactis graviditatibus, seu semper dextras molestasque sensit: Quo tempore, mammae lacte distendi coeperunt. Dolores autem quolibet mense expleto, usque ad nonum, semper cum foetus motibus adaucti sunt; quibus praegnans vehementer excruciata, in lentam febriculam incidit, multùmque emaciata est. Nihilominùs octavo & nono mense adeo repletae sunt mammae, ut lac spontè flueret. Labente jam, nono a conceptu, Januario mense ann. MDCCXIV., pariendi dolores acerbissimi; & praecipuè lumbares

bares, incesserunt. Quatriduo puerpera laboravit: nec paulum aquae fluxit. Quapropter Chirurgo accito, qui partus vias exploraret, prorsùs ineptas ad foetus exclusionem invenit. Tandem in gravioribus partus doloribus, mater, a dextra infimi ventris parte ingens corpus velut divelli, locoque moveri sensit, quod protinùs ad dexteram superiorem umbilici regionem ascendit. Adstantes foetum, quinque transversos digitos elatum, externo tactu noverunt. Tum omnes materni dolores, & pariendi conatus deleti sunt: Nec foetus ulteriùs motus est; sed velut inutile pondus proximè sub integumentis communibus tangebatur; ubi abditus, rotundo capitis vertice, & manus digitis, occupatum locum exploratoribus evidentissimè designabat. Mater exindè refecta est: cui reverà peperisse videbatur, simul atque foetum loco moveri percepit. *Lochiorum* postea fluxus nullus fuit. Majori lactis copia nutrices impletae sunt; quod brevi recessit. Tribus internum partum sequentibus diebus nauseae vomitusque excitati sunt. Post haec, sedatis omnibus, Mater lecto surgens, omnique incommodo vacua, domestica pensa resumpsit: vix aliquo remanente mutati ponderis sensu. Mense jam praetergresso, corpus quoddam

L velut

velut carnosum, sanguine tinctum, & juglandis magnitudine, ab utero sinè dolore emisit. Paulo post menstrui fluxus ex ordine successerunt: quos tamen exigui dolores ad primam a foetu relictam sedem praecedebant. Tres menses postquam internè, seu in proprio ventre pepererat, idest ad Majum mensem ejusdem anni Celeber Anellius, tunc in Regia hac Aula Chirurgus, caesareum partum, sivè ventris sectionem tentandam proposuit; vel quòd naturâ audens erat; vel quia id in alia Taurinensi Muliere, cui foetus extra uterum, maturus tandem putruerat, a nobis jam antea tentatum audiisset (*i*). At verò nobis id non probatum est, tum ob prosperam Mulieris valetudinem, tum aliis de caussis: quamquam foetus conceptio & accretio extra uterum, immò praecisè in dextro *ovario*; simulque ascensus ad superiorem dexteram abdominis cavitatem, satis superque innotuisset. Itaque laudatus Chirurgus, eodem anno librum edere contentus fuit; in quo tam singularem miramque graviditatem, quantùm observare potuerat, enarravit. „ Il faudra (scribit „ annos XIV. antequam ab hac defuncta „ Muliere foetus extraheretur (*k*) que les
Curieux

(i) *Haec Histor. superiùs habetur fol.* 84.
(k) *Suite de la nouvelle Methode &c. fol.* 303.

„ Curieux attendent, que le destin ait décidé de son sort, & que Messieurs les Medecins & Chirurgiens de Turin leur communiquent l'Histoire entiere de cette grossesse... & on ne negligera pas sans doute de leur faire part des circonstances les plus remarquables, qui accompagneront jusqu' á la fin la grossesse de cette Femme „. Id verò perficiendi tempus, ut ut paulisper serum, accessit. Igitur huic mulieri suppressis exindè mensibus, de nova graviditate dubitatum est. Quapropter caesarei tunc partus tentandi, si reverà praegnans fuisset, neque abortum primis mensibus fecisset, occasio praeberi videbatur. At menstruorum fluxus ab adversa valetudine impeditus fuerat: & venereae luis suspicio extunc orta est: quae utpote in eam à Marito collata, subindè clariùs, ab octavo ad reliquos graviditatis annos plures partes infestans, se manifestavit. Sic a X. usque ad XV. *gestationis* annum hujus Mulieris res in deterius abierunt: donec assiduâ febriculâ, doloribus & ulceribus in universum corpus affecta; & ad maciem ultimam redacta, tandem errosâ facie, adhuc praegnans interiit Kal. April. MDCCXXVIII.

Posterâ die, nobis postulantibus, Cadaver in Anatomicum Regii Archigymna- *Secundae graviditatis inspectio in hujus*

Feminae Cadavere.

ſii Theatrum, delatum; ibique coram Medicinae, & Chirurgiae Profeſſoribus, aliiſque ſexcentis diſſectum eſt. Antequam aperiretur, foetus caput & manus adhuc externo tactu diſcernebantur, ut ſuperiùs dictum fuit; ſed versùs *hipogaſtricam* cavitatem aliquantum deſcenderant. Cadavere aperto, membranoſa & muſculoſa abdominis tegumenta, multùm areſacta & gracilia apparuerunt. Poſt haec, Omentum ſubtile & exſuccum, ſed circumquaque novis velut tenuibus membranis Peritonaeo firmiter connexum; atque inſuper uſque ad pubis ſummitatem protenſum eique valdè adhaerens: Duram denſamque, & velut *coriaceam* membranam immediatè obtegebat, cui validè etiam jungebatur: Erat autem membrana, *chorion* ipſum foetus, *amnio* conjunctum; quae mortui foetus partibus ita accomodabatur, ut jam foetus hujus imaginem exteriùs repraeſentaret: Brachium verò praecipuè manumque ſiniſtram, velut lata & aptiſſima chiroteca involuebat. Supra *Chorium*, neque *placentae* veſtigium ſupererat, exceptâ funiculi *umbilicalis* portione integrâ adhuc, vaſiſque apertis; quae a foetu per dexterum latus ad *chorium* protenſa, illud perforabat; & deindè ad externam faciem nonnihil erumpens, ſe jam a *placenta* divulſam

Fig. I.

vulsam indicabat. Idem *chorion* ad posteriora cum Matris *mesenterio* arctissimè jungebatur. Et unio a mesenterii limbo incipiens, duos transversos digitos latitudine, & tres longitudine versus centrum protensa excurrens, ad ultimas lumborum vertebras desinebat. *n. o.*

Inventi in Cadavere foetus descriptio. Caeterùm foetus positio in ventris cavitate haec fuit: Anteriori parte ad dorsum Matris, obliquâ tamen & pronâ facie conversus, superioribus *frontalis* & *parietalis* ossis extremitatibus in cacumen elatis, atque eò magis, quò ejusdem nominis sinistra ossa depressiora erant. Truncus supra modum distortus: nates ad dexteram elatae; sinistrum latus valdè flexum. Dextera coxa adeo erecta, ut genu faciem obliquè pertingeret. Genitalia dexteri pedis appositione depressa; & ad foliorum similitudinem extenuata. Sinistra coxa extensa & non nihil ad laevam exteriùs evecta; cujus genu ad oppositum nonnihil distorto, crus cum pede in saccum, qui supra dexterum latum uteri ligamentum, seu potiùs ad dexteri *ovarii* locum excavatus erat, extendebatur. Brachium dexterum usque ad medietatem ossis *parietalis* capitis elatum; cui manus in pugnum complicata adhaerebat. Sinistrum verò brachium ad inferiorem faciei partem positum; d. f. * b. c.

 ita

ita ut carpo inferius labrum & mentum obtegerentur. At haec manus, ut etiam altera, firmis digitis & unguibus instructa erat, sed multùm distorta. Quid plura? Foetus hìc undique distortus erat, & omni ex parte admirandus. Ejus extima superficies, albidâ, oleosâ & velut sebaceâ

Fig. II. e. crustâ obtegebatur: quae tamen crusta non undique ejusdem erat consistentiae; sed mollior circa collum, & ubi femora aliaeque partes flectuntur: & quod observatu dignum est, unguen hujusmodi, patenti aeri expositum, non secùs ac gypsum aquâ subactum, brevi concrevit. Praeter haec omnia (quis crederet?), hujus extincti homunculi externae internaeque partes, licet tandiù mortuus omnique nutrimento destitutus extiterit, molles adhuc & flexiles erant: totumque cadaver musculosum, pingue atque torosum, octo librarum pondus excedebat; atque maturus foetus debito tempore in lucem editus videbatur. Cutem habebat subtilem & gracilem, verùm unctuosam, mollem & validam: Sub hac adipalem tunicam, densam, crassam, & firmam. Inter musculos verò, & in internis cavitatibus, ut etiam supra costas exteriús & interiús, pulcherrima pinguedinis

Fig. I. k. strata & velut cumuli inventi sunt. Musculi praeterea firmi, optimèque enutriti, sed fibris

fibris quamvis torosis & validis, nonnihil nigricantibus instructi. Infimi ventris viscera, quamvis nonnihil pallida, humiditate tamen & flexibilitate naturalibus erant simillima: Stomachus, totusque intestinorum canalis vacui; at interius quodam nigro unguine, velut *meconio*, oblini-ti: Ventriculi facies interna in plicaturas *rhomboidales* corrugata: *Mesenterium* densum & validum: Renes quà proprii, quà *succenturiati*, omninò naturales: atque hoc modo reliquae abdominis partes. In pectoris cavitate cor humidum & firmum, at sanguine omninò vacuum. Sanguineorum vasorum trunci magni & solidi, simulque exangues: Validum, & instar recentis, *pericardium*: *Thymus* plenus & tener: Ampli mollesque & flaccescentes pulmones, sed albi, atque omni pariter sanguine destituti; quodque notandum praecipuè est, aquae immersi, non aliter, quàm si jam spiritum duxissent, supernatabant. Caput erat satis firmis capillis ornatum: Dura mater valida, tensa, uda & albida; cuius messoria falx multúm extensa. Cerebri verò utraque pars, corticosa videlicet & medullosa, eodem rubicundo colore, carnis in morem suffusae. At spinae medulla, omni ex parte naturali simillima: Pia mater & omnia nervorum

 principia

principia, debitâ craſſitie diſtincta. Splendentes oculi, & quamvis aquoſo humore deſtituti, aliorum tamen humorum ſupplemento pleni & convexi. Nares apertae, lingua flexibilis, mollis & rubra. Gingivae durae, ex quibus jam dentes prominebant. Demúm aures aut parúm, aut ferè nihil conſpicuae.

Fig. I. & II.

Genitalium Matris partium deſcriptio, & ſuper hunc foetum ejuſq. graviditatem animadverſiones.

Itaque ſaccus, quo ſiniſtrum crus foetus, ut annotavimus, continebatur, ruber erat, validis & muſculoſis membranis contextus, cujus diametros ovi gallinacei diametrum non excedebat. Nec tantúm pedem & tibiam, ſed inſuper materiam quamdam, memoratae foetus cruſtae non multúm abſimilem, fibris vaſculorum eleganter complicatam atque contortam, albam, friabilem ſimulque oleoſam & lubricam capiebat: At verò interna hujus excipuli membranacei ſuperficies, oſſeis tenuibus laminis obtegebatur; ejuſque dexterum externum latus velut in zonam porrectum, tenuvium matris inteſtinorum partem ſibi adjungens, indè uſque ad ſiniſtram cadaveris coxendicem elatum, eidem connectebatur: Matris verò dextera *falloppiana* tuba, quantumvis nonnihil craſſitie aucta, naturale tamen ab utero principium ſitumque ſervabat: at progreſſu, & maximè latiori extremo clauſa, & memo-

Fig. I. h. & g.

Fig. II. h.

rati

rati ſacci margine ſinè ullo ampliùs tentorii & fimbriarum veſtigio omnino coalita atque confuſa. *Ovarium* dexterum nullum: ſed ejus loco ſaccus iſte repertus eſt; qui revera nihil aliud erat, quàm *ovarium* ipſum, in quo foecundatum ovum, dum creſceret, neceſſariam ſibi ſtationem comparaverat. Nam probabile eſt, tertium feminae, tunc poſtremum conceptum, in hoc *ovario* fuiſſe praeſtitum; foecundatumq; ovum ab *ovario* erumpere nullo modo potuiſſe, ob tubae impedimentum, quae ſcilicet non tantùm ad majus extremum jam dudum, imo, ut ab ejus fabrica, & continuitate viſum eſt, ab origine clauſa erat; ſed etiam priùs quàm Mulier conciperet, ita *ovarii* tunicae ſuperducta, ut eam indurans & denſans, omnem ovorum exitum impediret. Hinc patet, ovum illud *ovario* coërcitum, ibi *placentae* ope, ut ante foecundationem actum fuerat, enutritum fuiſſe; atque ad debitam naſcendi magnitudinem excreviſſe: foetus deindè maturus, rupto *ovario*, internèque partus, ab eodem exivit; & ventris cavitate receptus, ſequentem alteram graviditatem produxit. Pedem verò, quo loco primùm excreverat, ſemper retinuit: qui locus utpotè priùs, continendi maturi foetus capax extiterat, poſtea a minori ſanè corpore

pore occupatus, naturali ſuo contractionis momento paulatim circa pedem coarctatus eſt, & ad minorem capacitatem acceſſit. Igitur foetus, ventris cavitate exceptus, ob intermiſſam nutritionem, mortuus eſt; & ut ſupra diximus, aliquibus ventris partibus adnexus, tandiù integer & incorruptus permanſit. Credibile igitur quoque eſt, hanc Mulierem, quae antea bis jam felici eventu pepererat, ita concepiſſe, ut ova ab altero ſeu ſiniſtro *ovario* tubaque, exciderent, & in uterum portarentur: quae partes tunc temporis, non unà connexae erant & coalitae, ſed

Fig. II. k. in naturali ſtatu diſpoſitae. Sed cum indè viderimus, tubam hanc ſiniſtram decurtatam & corrugatam, inferiori parte, *ovario* annexam fuiſſe, ac ſi alteram imitatura, ſucceſſu temporis eidem prorsùs coaleſcere voluiſſet: Idcircò concludendum eſt, ſuſceptam hanc tubae connexionem in cauſſa fuiſſe, ne Mulier a tertia graviditate ampliùs conceperit; ovis, ſi quae foecundata fuerint, ab *ovario* in ventrem delapſis, ibidemque forte &

l. fortuna diſſipatis & perditis. Caeterùm hujus feminae uterus omninò naturalis erat; immò pro ratione Mulieris, quae jam pepererat, mole parvus videbatur: Quae uteri tubaeque corrugatio & diminutio, ad

humorum

humorum fluxuumque deffectum, ob ultimam graviditatem ſequutum, referenda eſt. Cúm verò hujus uteri fundo, foetus natibus exteriùs incumberet, hinc fortaſſe à facta non levi preſſione vaſis, humorem ad has partes deferentibus, eadem *corrugatio* quoque ex parte repeti poteſt. Tria ergò adnotanda ſunt in hoc caſu, antea inviſa & inaudita: I. Duplex, ſeu complicata unius foetus graviditas: prima enim graviditas novem menſium eſt; juſti nempe atque maturi viventis foetus in *ovario:* Altera verò duorum menſium ſupra XIV. annos in abdomine; quo ſpatio temporis idem foetus mortuus fuit. Legimus enim conceptos foetus in *ovario*; ſed non ibi uſque ad maturitatem vixiſſe. II. Ab artificiali utero maturus foetus per eruptionem in Matris ventrem prodiit, hâc ſalvâ & incolumi: Cùm tamen alii omnes foetus, qui concepti in *ovario* hoc pacto erupiſſe leguntur, huc uſque, quod ſciam, ut & illi, qui in internis tubis adaucti eadem ratione ſibi exitum paraverunt, extremum illicò fatum matribus attulerint. Ratio autem, cur alii foetus, qui pariter laceratis *ovariis* exierunt, mortui antea ſint, hic autem vixerit, eſſe videtur; quòd illi in intimis *ovariis* concepti, illa non multùm dilatare potuerunt;

ſicque

ſicque multo antè maturitatem, velut *teſticulari* abortu excluſi ſunt; & multâ laceratione factâ, vaſa ideo, quae in interiori teſtis ſubſtantia ſunt plura atque grandia, & praegnatione grandiora praeſtita, rupta ſunt, ut fatalis Matribus *haemorrhagia* ſit conſequuta: velut ſupra poſuimus. At noſter fauſtè conceptus fuit, & crevit inter propriam teſtis ſubſtantiam & ſuccingentem tunicam; ovo ſcilicet ad ambitum jam propulſo & ab una tunica impedito. Quapropter, ut ut inſolita harum partium diſtentio, majoribus ac ſaevioribus in dies Genitricem cruciatibus afficeret; tamen huic diſtentioni, tunica praecipuè obnoxia fuit; quae nempe naturâ ſuâ *extenſilis*, multò magis, quàm *ovarii* ſubſtantia, reſtitit, atque ut ut denſior, ſe ſe indè tamen paulatim extendit, creſcentis foetus moli cedens: neque antè maturum foetum rupta eſt. Quia veró *peritonaei* pars extat haec *ovariorum* tunica; dum extenderetur, renes, ſeu lumbi, quibus *peritonaeum* firmiſſima adhaeſionis puncta obtinet, torquebantur. In ejus autem diſruptione, non multùm *haemorrhagiae* ſequutum eſt; quia haec tunica, vel in ſaccum expanſa, non multis, nec magnis, ſed minimis tantùm ſanguineis vaſis ad ſuperficiem reptantibus refertur. Rupto autem

umbilicali

umbilicali funiculo, *placentâque* in *ovarii* ſubſtantia relictâ, imo ita adhuc haerente, ut majora ejuſdem ſacci, & teſticuli vaſa non rupta fuerint, Mater incolumis ſuperſtitit: pauca ſanguinis effuſa quantitas, per abdomen conſumta: & rupta tunicae vaſcula conſolidata ſunt. *Placenta* veró in *vaſcularia* fruſtula, fibraſque & liquamen, ex parte in oſſeam velut ſubſtantiam concretum, reſoluta eſt; ut ſaepè in varia animalium partium collectione accidere obſervamus. III. Summè mirandum eſt, hoc foetus cadaver ultra quatuordecim annos in Matris ventre, incorruptum, humidum, flexile, molle & carne plenum extitiſſe, ac ſi foetus horâ, antequam extraheretur, extinctus eſſet. Cujus pulmones poſt 12. annos, ac ſi nunc evulſi eſſent, apud nos balſamico in liquore ſervatos & molles, quiſque videre poteſt. Totum veró cadaver exſiccare, licèt ſoli expoſitum, multiſque ſalibus conſperſum fuerit, multis hebdomadis, vix potuimus: adeo verum eſt, hunc foetum, qui nunc in noſtro pariter muſaeo poſitus eſt, ſuccis, multâque pinguedine & carne abundaſſe. Cauſsae, quibus cadaver hoc ſervari potuerit, duae videntur admittendae. I. Impeditus principii deſtruentis, nempè aëris, é Matre in foetum liberior aditus;
quâ

quâ etiam ratione fructus, aliaque corruptioni obnoxia corpora conſervantur. II. Vetitae peculiarium hujus corporis ſuccorum exhalationes, ut hi intùs quieſcentes, immotique contenti fuerint. Cerea ſic ſuperficies quibuſdam fructibus inducta, eos diu intactos tuetur: ovaque obducti *glutinis* ope, ſtipatis poris, ut Celeb. *Raumur* expertus eſt, ad annum, tamquam ſi recentia eſſent, optimè conſervantur. Et ſanè cum nobis compertum ſit, foetus materno ventre abditos, ſaepiùs non adeo defendi aëre, quin corruptionem contrahant; ſollicitamur aſſerere, cruſtam illam, ſeu pingue gluten, quo foetus hic noſter undequaque obducebatur, communicationem foetus cum aëre, materno ventre contento, humorumque foetus expirationem impediendo, ea praeſtaſſe, quae ad cadaver tandiu incorruptum & integrum conſervandum requirebantur. At peculiare adeo *phaenomenon*, & praecipuè hujus ſebacei tegumenti origo, fuſiorem calamum, majoremque diſquiſitionem requireret. Quod tamen nos, brevitatis & hiſtoricae tantúm, non verò ſupervacuae orationis amatores, hìc non conficimus.

Graviditas intermedia in tuba, ſeu ad exteriorem ejus caveam.

Sed poſtquam externam *ovariorum* graviditatem diffusè explanavimus; conſonum eſt, ut pariter externam tubarum conſequamur. Utriuſque tubae fim-

briarum

briarum bases ab arcto quodam, velut tendineo, circulo obligatae sunt, & in unum corpus coalitae. Hae fimbriae quemadmodum progressu liberae, & in latum expansae, elegantem pelvim sive infundibulum praestant; ita ad circuli limbum constrictae, primam ibidem tubae angustiam constituunt. Porró, sicut internarum *tubariarum* graviditatum caussae, ab altera plerumque tubarum angustia, seu earum in uterum introitu, repetendae in genere sunt; ita & externarum *gestationum* rationes, ab hac prima angustia aestimandae. Etenim externa tubarum *gestatio* fit, quúm ovum in *ovario* foecundatum, atque ab eodem erumpens, in alterutrius tubae principio, per quod ad usque uteri caveam devehi oporteret, impeditur: seu in tubae pelvi, aut tentorio, ut dicunt, excipitur quidem; ab hoc tamen per angiportum, seu per primam illam *circularem* angustiam, in tubae progressum minimè traducitur. Hoc veró primi ovorum progressus impedimentum, vel ab insuperabili *circularis* limbi contractione, aut obstructione quâlibet evenire potest: vel a lento tentorii adeo implicante muco, ut licet tubae annulus liber extet; irretitum tamen ovum traijci ulteriús non queat: Secundó si *oviductus* per unam, aut plures

suarum

ſuarum extremitatum, ſeu fimbriarum, cum *ovario* ipſo, aut lato ligamento, aut attiguo *peritonaeo*, aut ibidem delapſo omento, aut alio quolibet viſcere, ita nexus atque firmatus ſit, ut quamquam ſuſcepto jam ovo, & ſpermaticarum partium tenſione, a foecundo coitu excitatâ, deſervente deſinenteque, relaxetur & concidat; non tamen ſuam pelvim versús abdominis latera atque imas partes inflectat & dimittat; ſed adhuc ita erectam ſtabilemque ſervet, ut ovum retineat; neque ad *ventralem* praeſtandam graviditatem delabi ſinat; neque ob memoratos nexus promovere ad uterum valeat. Hae autem vitioſae connexiones oſculi & *tubarii* veſtibuli cum adjacentibus partibus, non ſolúm a praeceſſis inflammationibus ex violenta partium divulſione in laborioſis partubus aliiſque caſibus, aut tumoribus, aut ſuccorum congeſtionibus, aliiſve affectibus, ſed etiam a mala interdum in origine conformatione contingunt. Quamobrem ita effecta *tubaria* graviditas, ſi ovi *placenta*, tentorii faciebus adnexa, ſuccorum cum iiſdem commercium ineat, ſuos non difficilè progreſſus conſequetur. Atque haec externa tubarum conceptio illa eſt, quam nos, ut ab harum partium interna, atque inſuper a *ventrali* externa diſtinguamus, intermediam, non ſecús ac ſuperiorem, *ovarii*

ſub-

substantiae ejusque tunicae interpositam, vocare consuescimus. Externarum *Tubariarum* humanarum graviditatum nulla hactenus apud Scriptores certior atque praeclarior est tradita, Vercellensi illâ alterâ graviditate extra uterum, primùm nobis a peritissimo Chirurgo, hinc a doctissimo Medico communicatâ, quam jam superiús pag. 112. libavimus. En accuratam Epistolam, nobis super hac singulari graviditate partuque & extispicio, a Cl. Guala Med. Doct., nostrique Archiatrorum Magistratus in Vercellensi Urbe & Provincia Vicario, transmissam. „ Anna „ Catharina Uxor Joannis Baptistae Boccardo bajulatoris Illustriss. Comitis ab „ Auxiliano annorum 32., elapso sterilis Conjugii decennio, etsi stato tempore debitaque quantitate fluxum sexui „ proprium singulis mensibus obtinuerit, „ doloribus renalibus diu vexata, ac pristinae incolumitati etiam secundò restituta, tandem mense Octobris anni à partu Virginis 1738. concepisse haud dubiè „ opinata fuit, ex insuetis uomitibus, nauseis, cardialgiis bimestri spatio perseverantibus, quod ratum, firmumque indicavit lactis stillicidium ex mammarum „ papillis secundo gestationis mense erumpens. Nondum, aut forte vix completus

Vercellensis Historia altera externae Tubariae graviditatis, cum foetus corruptione, ejusque per anum dejectis ossibus.

M nu-

„ numerabatur tertius geſtationis menſis, „ dum verſus internam ilei ſiniſtri faciem „ diſtinctum foetus motum perſenſerat, ac „ firma fruebatur valetudine, qua uſque ad „ finem Februarii 1739. ſeu quinto geſta- „ tionis menſe gaviſa fuit, quo tempore „ hebdomadae ſpatio febricitavit terque „ *phlebotomata*, ac ſemel epoto purgante „ ceſſit penitus motus foetus, pondusque „ gravativum per abdomen mobile perſen- „ tiebat, ac biduo menſtruas purgationes „ ſuſtinuit mediocris quantitatis, & ſani- „ tati valedixit; elapſis tribus hebdomadis „ adhuc menſtruata fuit, uomitibuſque „ ſollicitata per dies 15. brevibuſque in- „ terpoſitis diebus graviſſima paſſa fuit „ ventris tormina cum conatibus dejicien- „ di foetus, teneſmo affectorum more: per- „ ſeverabat talis affectio torminoſa irritis „ quibuſcumque remediis octavo geſtatio- „ nis menſe, Majo videlicet, dum me per „ laudatum Comitem enixe precata fuit ut „ illi opitularer, ac tam pertinaci morbo „ modum imponerem; & en vix enarra- „ tura diuturnitatem iliademque ſimpto- „ matum quibus divexata fuit, fibulam „ quam ano prîdiè ejecit ac aſſervabat, „ pre manibus ſumens dixit: hoc heri ano „ os ejeci & alia parva, nec ulla mihi à „ cruciatibus quies diù, aut noctù; precor

ita-

„ itaque . . . Obstupui sane, ac fateor primo
„ obtutu fibulae, quae propriis donabatur
„ capitibus, me suspicatum fuisse potius
„ femur ranae extitisse quam fibulam hu-
„ mani foetus, etsi arduum excogitarem
„ potuisse illud intactum deglutiri: cessit
„ tamen protinus stupor, ac meis interroga-
„ tionibus respondit ut supra, eoque magis
„ dum infimum ventrem explorando, tu-
„ morem in sinistra regione iliaca incurri
„ haud mediocriter dolentem, caeteris qui-
„ buscunque abdominis partibus naturali
„ mole & consistentia fruentibus; utque
„ propriae non tantum satisfacerem curio-
„ sitati, sed ut de concepto judicio quot-
„ quot voluissent testes habere potuissem
„ Xenodochium hocce (Eminentissimi
„ Guala Bicherii jussu à fundamentis con-
„ structum opibusque tanto opere dignis
„ dotatum, anno á partu Virginis 1220.)
„ Mulierem adire hortatus fui, quod mihi
„ etiam in otium cederet illud bis in die
„ petenti egrotos curaturo. Cessit horta-
„ tioni mulier, jussuque rigido extemplò
„ edito singulis famulatum praebentibus
„ in eodem nosocomio, ne stercoraceum
„ vas emundarent nisi adessem, primo die
„ binas ejecisse costas stercore involutas
„ cum aliquibus vertebris ac filamentis
„ muscularibus (putrefactis) inspexi, se-

„ cundo die aliquas vertebras cum humero, tertio die quatuor coſtas cum clavicula aliquibuſque vertebris, quarto die undecim coſtas cum duodecim vertebris, quinto die tibiam, radium, & fibulam, ſexto die tibiam, ſeptimo ſcapulam; ac praeter morem hanc ejiciendo doloribus divexata fuit, leviſque duodecim circiter horarum ſpatio febricula excitata, ac duobus interpoſitis diebus ab oſſium evacuatione vacuis, à primò ad duodecimum (qui pro hac vice fuit terminus evacuationis oſſium, immorata in noſocomio ſexdecim tantum diebus) demptis duabus coſtis, unaque ſcapula, atque oſſibus capitis, omnia ad humanum ſceleton efformandum oſſa ejecit: emundata recepi, numeravi, aſſervo: quatuor menſium ſpatio immorata domi, ſueta ventris tormina paſſa fuit; nunquam tamen aliquid ex ſuperſtitibus oſſibus ejecit: dum repente validis cruciatibus ventris affecta, opus habuit manu chirurgica; quae die duodecima Octobris, digitis ex ano avulſit os occipitale: elapſo menſe vomitibus ac torminibus ut ſupra affectae eâdem ſolerti manu os coronale duabus diviſum in partibus extractum fuit, dextrum videlicet mane, ſiniſtrum vero veſperi: reliqua interim ejecit diſperditque ac tan-

„ tandem cachectica evasa, die nona De-
„ cembris obiit. In denata muliere inven-
„ tum est abdomen mole preter morem
„ tensum; sectis musculis visa sunt intesti-
„ na flatuosa, & tensa; omentum totum
„ sinistrorsum protendebatur, & versus re-
„ nem peritonaeo adhaerebat, ubi mirum
„ in modum conspiciebatur densum, gra-
„ cili, laxaq: se exhibente reliqua ejusdem
„ substantia, cujus inferior lamella intra
„ colon & jejunum veluti consepulta, nul-
„ laque ejus pars obuelabat intestina,
„ adhaerebatq: etiam ovario, & vesicae
„ urinariae: Ileon pene totum inflamma-
„ tum cum inferioris lamellae omenti par-
„ te conspeximus. Uteri substantia incolu-
„ mis penitus, & mole parvus virginum
„ more, in cujus anteriori parte parva pu-
„ ris quantitas, quae nullam continui so-
„ lutionem habuit, aut labem, se se exhi-
„ buit; huic (à quo tamen facile avulsa
„ fuit) in posteriori parte, necnon ejus-
„ dem ligamento-lato, & fimbriis tubae fal-
„ loppianae dextrae adhaerebat placenta
„ densissima, extrinsecus colore albicans,
„ intrinsecus vacua, & naturam verae pla-
„ centae redolens, vasisque quamplurimis
„ intertexta sanguiferis, quae cum vasis
„ fimbriarum falloppianae dextrae hiabant,
„ atque communi fruebantur consortio,

M 3 ma-

„ magnitudine ovi gallinacei, circa intestini
„ colon finem implantata, cui intestino
„ etiã sinistra tuba posterius inflexa adhae-
„ rebat, quod in diversis etiam punctis
„ unàcum ileo osculabatur. Fundo uteri
„ dextrorsum pendebat hydatis maxima, in
„ cujus folliculo serosus scatebat humor,
„ ab ipsoque ovario dextro membranam
„ & vasa mutuare ostendebat; ovariis in-
„ terim substantia & figura vix à natura-
„ libus recedentibus. Ubi implantatam di-
„ ximus supra dictam placentam, hiabat
„ ostium trium transversorum digitorũ la-
„ titudine, commune ipsi placentae & colo,
„ obductum veluti sphinctere & quasi cal-
„ losum versus sinistram partem: quaque
„ parte mutuò osculantur ileon & colon,
„ septo veluti intermedio valde consisten-
„ ti & denso invicem & dividebantur &
„ annectebantur, ut quae oculus distincta
„ conspiciebat corpora, ob mutuam coa-
„ lescentiã indistinctum viderentur corpus;
„ ibique implantata orificia quamplura
„ conspeximus mutuo hiantia, ac rectá
„ ab ileo ad colon producta. Spero Te
„ aequo animo suscepturum hoc pignus
„ obsequii mei; vehementerque cupio sen-
„ sus tuos intelligere de singulis rebus in
„ hac historia traditis. Vale interim Rei-
„ publicae Medicae bono & gloriae, Vir

Sa-

„ Sapientissime, mihique ultro jussuum „ tuorum favere ne dedigneris precor. „ Vercellis 23. Februarii 1740.„ Graviditatem hanc *tubariam* externam fuisse, luce clarius est: Neque enim hactenus ab Auctoribus, hujus generis clarior graviditas est prodita. *Ostium* illud *trium transversorum digitorum latitudine*, praebuisse aditum foetus partibus, quae ab ejus corpore, ad locum graviditatis, non valde clausum nec satis ab aëris commercio protectum, sensim corrupto dissolutoque, in adnexum colon intestinum migrabant, alterâ epistolâ luculenter nobis Doctissimus idem Guala confirmavit. Hujusmodi hiatum sensim á corruptione accumbentis foetus, tùm verò vetustate labrosum, seu velut sphinctere obductum, & insuper *callosum* seu tanquam *fistulosum*, fuisse praestitum, facilè quidem intelligimus. Sed tanta *coli* intestini laesio sinè digestionum ac naturalium succorum invalescente depravatione diu vigere non potuit, quin sensim, dirutis naturalis oeconomiae legibus, lethalia *chyloseos* vitia insurgerent. Ita Peritissimus Serafinus, Vercellis Chirurgiae Professor, ibidemque Xenodochii Chirurgus, qui feminã quoque viserat & observaverat, tum verò occipitale os jam ab ineunte elapso Octobri ex ano extraxerat, cum ad finem ejusdem men-

ſis Taurinum adveniſſet, referebat mihi, *ſingulas, ad illud tempus, alvinas in femina dejectiones, veluti totidem dolores partus atque conatus eſſe, eaſdemque inditis clyſteribus acerbiores fieri, tum verò raro concoctas, ſaepiùs crudas, ſaepe ichoroſas, ſemper frequentes, prodire*: Ut ideo ex laeſis perditiſque primorum viſcerum officiis, cachecticam primò praeſtitam feminam, poſtea ab eroſionis cauſſis ad inteſtinum inflammatam, fato ceſſiſſe, mirandum non ſit. Caeterùm cum mihi Serafinus os illud capitis, aliaque minora jam excreta, quae ſecum de induſtria tulerat, oſtenderit, meoſque ſenſus efflagitaverit, non difficilé aperui: trunci, artuum & capitis oſſa, jam excreta aut extracta, á proxima recto inteſtino ſede deſcendiſſe: Occipitale os, molis & inaequalitatis causâ, inferiori recto ſe tranſitu infixiſſe: minora levioraque oſſa liberum habuiſſe trajectum: foetum, qui extremâ jam corruptione ſolvebatur, verſús craſſorum inteſtinorum finem tenuiſſe ſedem; fortè in tubae extremo, interiùs tamen inflexo; tum verò membraneis ſepimentis ac vinculis, fortaſſe & *placentâ* ipſa, obligatum fuiſſe, ſimulque craſſo inteſtino ita accumbentem; ut eidem attritum & labem, indèque diſſolutionem latamque apertionem intuliſſe, ſentiendum eſſet. Neque, ut liquet,

quet, á vero discessimus. Porrò, quòd quippiam durioris, (ut idem Serafinus retulerat) tumidiorisque, cum majori, prae aliis partibus, ad pressionem molestia, ad sinistrum ilium perciperetur, dum dextrae tubae tentorio insideret conceptus; id certè referendum est vitiosae ejusdem tubae, appensique foetus, versús sinistrum latus inflexioni magnaeque productioni: neque enim aliter dextra tuba in contactum intestini *coli circa* ejus *finem* accedere potuisset: qui nempe *coli* intestini locus á sinistri ilei regione procedit. In Actis regiae Societatis in Anglia philosophicis, quorum eruditae in italicam linguam versioni, a celeb. Equite Th. *Dereham* susceptae editaeque, nobilissima ea plura debemus, quae plerosque nos Italos, peregrini idiomatis caussâ, dudum fortasse latuissent, a cl. *Younge* relata pecudis tubaria externa, graviditas est; undè agnus ad usque omenti medium irreptus, ibidemque coalitus fuerat. (*)

Externi tubarii conceptus cur diutinè tutèque interdum serventur.

Atqui *tubaria* hujus generis graviditas non solùm in libero spatio est, quod nempe admodum extendi potest absque rupturae vasorum discrimine; sed nexus in origine atque stabilior suoque tentorio superiora respiciens oviductus, quò magis ab ac-

(*) *Saggio delle Transaz. Filos. &c.* *Tom.* III. *fol.* 32.

accreſcente ovo, ſoetuque ad hunc locum expanditur, & in abdominis liberrimam ſuperiorem caveam prorogatur, eò faciliùs obviis attiguis partibus connectitur; praecipué cum *peritonaeo*, quod quidem inexhauſta membranarum, ligamentorum, atque involucrorum, in quaecunque ventris ſpatia ſcaturigo eſt: ut ideò *peritonaei* productionibus hîc illîc implicatus, commodiſſimum accreſcenti conceptui, faciliſque ſimul extenſionis multaeque firmitatis cubile, pluribus velut ſepimentorum ordinibus ſuffultum, apparare valeat. Ideo externi iſtiuſmodi *tubarii* conceptus diutius prae caeteris internis totis, ſiné lethalium diſruptionum diſcrimine protrahuntur; & ad uſque foetus maturitatem, & ulteriùs, ſervari queunt. Namque, ut *ovariorum* ſuccingentem tunicam quàm maximé ſiné lethali vaſorum ruptione, propriam verò ſubſtantiam quàm minimè dilatari poſſe, ſuperiùs oſtendimus; ita & tubae, cum in interna cavitate multam extenſionem ſinè hoc mortali ſanguineorum canalium excidio ferre non queant; exteriùs tamen, ſeu ad infundibulum, imò & ad externam tunicam, non difficilè ferunt: ubi nempe haec vaſa majora non ſunt, & ſi aliqua ſint, non ita ſunt tenſa, ut facilé quoque extendi non queant: ſeu densé plicata, atque admodum tor-

tortuosa sunt; ideoque productioni aptissima. Ita in variis interdum hydropis speciebus *ovaria* atque tubae ad haec loca enormiter tument, & aquis implentur; neque tamen tam facilè, lethaliter abrumpi solent. Hydropem muliebris *ovarii* memorat laudatus Eques *Dereham* (*) descriptum a summo Viro, Equite *Hans Sloane*, cujus digna sanè laus est, Magni Isaaci Nevvtoni in Regiae Societatis Anglicae principatu successorem esse. Vidimus nos ante hosceXXX. annos, hydropem *ovarii* dextri in nobilissima Taurinensi Feminà, in quo plus LXXX. librae limpidi seri congestae fuerant. Ita celebris est historia Munickii, spectatissimis Bibliotecae Anatomicae Auctoribus communicata, & ab iis Icone exposita (*l*) quâ tumor dextrae tubae CXII. aquae libras continebat: in sinistra verò plures quoque librae redundabant. Sed noster *ovarii* tumor intra ejus substantiam & succingentem tunicam collectus fuerat: Hic vero *Tubarius*, non in tubae cavitate, sed inter intimam externamque tunicam, & *in ejus parte* juxta *Testiculum, nec non in ligamento lato.* (**) Idem putandum est de celebri tumore *Tubario*, CL. libras aquae praeter propter

Historia rari ovarii Hydropis in Taurinensi Matrona.

Et Tubarum ex Munickio

Et alius Tubarum Hydrops ex Cypriano.

(*) *Tav. delle mater. a tutto l' anno* 1700.

(l) *Tom. I. Part.* 1.

(**) *Ibidem.*

pter continente, quem Cyprianus descripsit. (*m*) Idem de aliis similibus Historiis. Nam si in propria tubae cavea collectae fuissent aquae, facilé per uterum foras fluere potuissent. Sed ad externam *tubariam* graviditatem redeuntes: cum tubae vestibulum, quò plus *gestatione* ampliatur, eò magis versùs exteriora abdominis plerumque producatur; ut ideo non minùs istiusmodi graviditas, quàm externa *ventralis*, Caesareum plerumque partũ admittat atque depostulet; Hunc ideo in genere non incuriosè tractabimus; postquam quaedam in specie de peculiari *tubaria* (ut ratum fuit) externa graviditate, & in hac a recenti Viro praestita Caesarea operatione, praecisè dixerimus.

Caesarea operatio, ut tubariae exteriori, seu intermediae, graviditati, atque ventrali superiori, aequè apta est, ita quocumque tempore, in utraque promiscuè graviditate, habita fuisse videtur.

Equidem tota nunc Recentium Medicorum Schola primas Caesarei partus laudes memorato Abrahamo Cypriano tribuere solet: tamquam ei scilicet, qui unus Mulierem á *Tubario* partu, hujusmodi sectione liberaverit (*n*). Ego verò arbitror, non minùs laudabiles esse paganos eos omnes Chirurgos, imo Tonsores, quos Rossetus, Cordaeus, Albosius, Saguyerius, Pelionus, Bauhinus Aliique memorant, & laudant: qui nempe diù ante Cyprianum, forté

(m) *In Epistol. ad Equitem Millington.* 1700.

(n) *Ex ead. Epist.*

fortè faciliùs citiusque, similes operationes felici eventu, matre incolumi, plerumque foecunda superstite, tam frequenter perfecere: Imò Cypriano laudabiliores essent, & Cypriano meliores fuissent artifices, si revera, ut rati fuerant, suâ hâc sectione & uterum ipsum secuissent: sed hoc licét non fecerint, ut inferiùs dicemus; quidquid tamen, quod Cyprianus fecit, ipsi jam fecerant. Cum enim neque Cyprianus satis demonstrare valeat, Batavae suae Feminae foetum revera in exteriori tubae sinu extitisse, neque iis aliis tribui possit, suos illos omnes extractos foetus, in sola ventris cavea, non verò in ore Tubarum fuisse; atque Caesarea, ab Illis Istoque aequè adhibita sectio, & *ventrali*, & externae *Tubariae* graviditati aequè propitia esse queat; Cur evenire non potuisset, conceptus à primis sectos, nunc in tubâ, nunc in ventre fuisse; Quemadmodum certiores non sumus, alterius, seu Cypriani, conceptum potiùs in tuba, quám in ventre stationem habuisse? Veteres illi, atque Recentior iste, super eas graviditatis circumstantias Caesaream operationem moliti sunt, siné quibus haec mala esset & perniciosa: scilicet quum praegnationis tumor ad exteriorem ventrem, ac velut subcutaneus fuit: quum vivi foetus ad partum nisus, connexiones divellens, prae-

ces-

cesserat: quum indè mortuo foetu, naturae ad expulsionem conatus successerat, foetus & Matris partium connexus ulteriùs ita solvens, ut, mutatis partium sedibus, acerrimi cruciatus, tumores, inflammationes, indéque suppurationes, ulcera atque apertiones plerumque contigerint. (quamquam postremi isti effectus casuales sint; satisque si ab internis spontaneis motibus arctae nimis partium adhaesiones expediantur) Hoc tantum inter hosce artifices discriminis est; quòd illi foetum, operatione exemptum, semper fuisse in utero arbitrati sunt: Hic verò in Anatomicis rebus sanè peritior, extra uterum degere pro certo habuit: sed quo ventris speciali loco, non bené designasse videtur. Etenim Cl. Cyprianus feminam visit, (o) post unum & viginti menses gravidam, cum *ventralis* tumoris loco ultra consuetum altiori; nono mense magnos dolores, foetusque vehementiores motus, postea ad illud momentum, ut probabile est, foetu demortuo, nullos ampliùs passam; Decimo octavo mense novis denuó cruciatibus, hinc acutis circa umbilicum doloribus prehensam; tandem fungoso ulcere ad umbilici loca percitam. Ipse operam aggrediens, ulcus dilatat: digiti minoris apicem immittit; eoque foe-

(o) *Eod. loc.*

foetus *parietale* os illicò attingit: Introducto per uices ſtylo abdomen á dextro latere aperit: indicem digitum immittit: In ſaccum foetus (quem ipſe *Falloppianam* tubam dicit) perventus, juxta rectitudinem albae lineae, forcipe ſupra digitum poſito, deorſum versùs maximam ſciſſuram facit. Foetus illicò juſtae magnitudinis in conſpectum venit: qui, apertione utrinque ad uſque pedalem longitudinem producta, praecipuè verò inteſtinis, in cavitate abſciſſi ventris manu diligenter coërcitis ſervatiſque, integer extractus eſt. Infantis pedes versùs diaphragma extendebantur. Saccus, in quo foetus fuerat, magni inſtar marſupii laté patens, *peritonaeo* ita adnatus erat, ut una quaſi videretur membrana. In hoc ſacco adhuc reſiduum aquae *Amnii*, ipſomet Cypriano iudice, deprehenſum eſt: ut ideo ſaccum hunc ex ipſis foetus *ſecundinis* fuiſſe conflatum, in comperto ſit. Vulnus mundatum, indèque ex arte cum debitis ſpiraculis conſutum fuit. Poſt haec convaluit Mulier; tertioque ab operatione menſe, ſanitati reddita, domo exiit: Sequenti anno Filiam peperit: iterumque alio ſubſequente anno gemellos, Filium & Filiam, enixa eſt. Haec porrò non ſatis demonſtrare videntur, foetum potiùs in tuba, quàm in libera ventris cavitate fuiſſe ſitum.

Et

Et quamquam viderit Vir Cl., inferiorem facci hujusce foetus partem, dextro lateri uteri circa fundum affixam fuisse; neque haec inspectio *tubariam* conceptionem satis demonstrat: cum in nostra Taurinensi femina conceptionem fuisse revera *ventralem* superiùs viderimus; etsi tuba sacco foetus & loco connexa esset affixaque; eamdemque per tubam latus uteri, ipseque uterus, cum foetu communicarent. Quòd autem ita liberum esset, in viva ad umbilicum aperta femina inspicere & contrectare uterum; & apertè dignoscere, praeter illum saccum, nullam aliam inesse dextrorsus tubam, velut iste testatur Vir, id certé cordatis Anatomicis dubitationem aliquam inducit: praecipué cum speculantem satis impedire valuissent intestina ipsa; quae suis in sedibus propriâ manu tenuisse, Cyprianus affirmat. Porrò cum primus hic Auctor fuerit, qui foetum Feminae, quam vivam exsecuit, extra ejus uterum fuisse dignoverit; Tum verò illum, quo equidem solo uti licet, Caesareum partum meliori, prae caeteris Antecessoribus, anatomico lumine exsecutus fuerit; ansam nobis Idem, & stimulum praebuit, ut in hoc auxilii genus, & praecipuè in eas, quibus in ejus usum Veteres capti sunt, allucinationes, aliquantulum digrediamur.

Quam-

Quamquam Antiquis usui solùm fuisse videtur, vivum foetum á defunctâ jam matre per Caesareum partum educere; Necessitas tamen saeculis omnibus locum praebuit, non dicam cautis Artis Magistris, sed Tonsoribus ipsis, atque audacioribus Circumforaneis, vivas ipsas Matres ex alterutro ventris latere secandi; ut excludi vivi, vel mortui foetus possent; qui nempe per uteri vias non possent. Cum igitur tantum facinus extra probae artis leges videretur; nemo Veterum ante duo proximè superiora saecula de hoc Caesareo vivarum partu verba fecisse visus est: si vetustam excipiamus Aspasiam; cujus fragmenta apud Aëtium collecta, quamdam *post foetus excretionem*, curam proponunt (*p*): nisi forsan in Hippocratis sensu haec sectio foetus intelligenda sit: qui nempè de secando solùm foetu, non de secanda Matre, sermonem instituit. (*q*) Ita Plinius homines, ex secta, sed defuncta jam Matre in lucem editos memorat: *Auspicatiùs enectâ parente gignuntur. Sicuti Scipio Africanus prior natus Primus Caesar à Caeso Matris utero dictus. Quâ de causâ & Caesones appellati. simili modo natus est Manlius, qui Carthaginem cum*

De Partu, Caesareo dicto.

Caesareus viventium gravidarum partus Antiquis ignotus; aut saltem inusitatus.

 exer-

(p) *Tetrabibl.* 4. *serm.* 4.

(q) *Lib. de exect. foetus; & lib.* 1. *de morbis mulier: & lib. de superfoetat.*

exercitu intravit. (*r*) Galenus, Medicarum rerum Vastissimus scriptor, nihil de Caesareo partu memoriae mandavit: hoc verò, aliò spectans, monitum obiter tradidit: *Uteri sectiones difficulter conglutinantur.* (*s*) Celsus lethales uteri sectiones statuerat; ut inferiùs videbimus. Porrò cum sola extrema fata gravidarum Mulierum, in teterrimo difficilis, imò impossibilis partus agone luctantium, temerarios potiùs, quàm peritos homines ad audendum secandumque impulerint; qui primis imó & postremis saeculis Caesaream vivarum sectionem aggressi sunt, aequiparari illis possunt, qui oculis omninò obductis clausisque, jaculum in scopum rectè jacere contenderent. Videlicet hi nostri *Incisores* impavidi, ignorasse hactenus videntur, cur secuerint; & quorsum, & quoad usque partium, suas sectiones instituerint. Ita in Histor II. Appendicis Caspari Bauhini ad Rosseti Caesareum partum, de quodam in Caesareis partubus exercitatissimo & celebri Aesculapio haec afferuntur: *Rogabamus quanam id arte praestaret industriaque: An cutim primum dividere solitus esset: deinde an hos, vel illos potius Epigastrii musculos, postremoque Peritonaeum, ipsumque tandem uterum: an quae-*

Eorum, qui Caesareum hunc partum aggressi sunt, caeca operatio, faustusque eventus.

que

(r) *Lib. VII. cap. IX.*
(s) *De loc. aff. lib. VI. cap. V.*

que haec separatim scilicet; an vero simul universa: quae nobis percunctantibus, nec sine studio, & admiratione, totus ipse obstupuit, obmutuitque; cumque urgeretur magis, fassus est is ingenue, nostras interrogatiunculas aenigmatum plenas sibi videri. Se securum tunc ab omni metu, ventrem, foetus granditate distentum quam maximè, non secus scalpro solitum dividere, quam abscessuum aliud omne genus. Attamen, quod certè incredibile simulque admirandum est, in spissis iis tenebris hi homines plerumque benè operam peregerunt: Quippe cum hi, in frustraneis parientis laboribus, desperatoque habendi naturalis partus casu, proximoque maternae necis periculo, tumidiorem ventris partem, seu ipsum auspicatò graviditatis locum inciderint; quamquam occlusorũ oculorum erant, eos tamen in scopum ivisse non dubitamus: Cum scopus tam amplus latusque fuerit, ut certe declinari non posset. Ita cum foetus sectioni praeberet se; & prensus foras erumperet; ipsique operantes pro certo semper habuissent (& sanè jurassent) graviditates omnes in utero semper esse; recuperatâ indè à vulnere Matris incolumitate perspectâ, facilè rati sunt, non solúm in eorum omnibus Caesareis partubus uterum ipsum fuisse sectum; sed tantam hujusce partis sectionem, non

Recens Anatome, Caesarei viventium partus rationes aperuit.

difficilè ſanabilem eſſe. Nuperae tamen Anatomicorum obſervationes maximum eorum errorem revelarunt. His enim aliquando certiores ſumus, crebras eſſe mulierum extra uterum praegnationes: ſuademur inſuper, has ſuis non minùs, quàm noſtris aetatibus frequentes videre potuiſſe Veteres, ſi eàdem, ut nos utimur, in iis diſquirendis diligentiâ uſi fuiſſent. Tum verò dignoſcimus, vehementes partus labores, qui fruſtranei ſunt, & cum nulla uteri, ejuſque in primis cervicis, ad pariendum diſpoſitione perſiſtunt, nullaeque parturitionis aquae fluunt, graviditatem extra uterum praeſtitam omninò indicare; ſuſceptas ergo in iis circumſtantiis Caeſareas ſectiones (ut pleraeque ita ſunt praeſtitae) non quidem in utero, ſed extra uterum graviditatibus proſpexiſſe: Ideoque habitas omnes, ſoſpite Matre, Caeſareas operas, foetus non ex utero, ſed à partibus utero externis extraxiſſe. Compertum ergo nobis quoque eſt; Mulieres ipſo utero ſectas, periiſſe omnes: ſectas interea Mulieres, penè omnes evaſiſſe; cum pleraeque ſectioni expoſitae, cum extra uterum concepiſſent, externarum tantúm partium, non uteri ſectionem ſuſtulerint. Ita tres illas feminas, quas ſecare vidit Maſſaria, (*t*) om-

(t) *Lib. IV. Pract. Med. cap. XII.*

omnesque periisse fassus est, utero fuisse sectas dijudicandum incumbit: nisi quoque velimus ambigere, an omnes Mulierum non *uterinae* sectiones, faustae semper ac salutares sint. Quamobrem, ut tres esse humanas graviditates superiús attulimus; Primam nempe, quae interna vocata est; caeteris quidem frequentior, si propriè in utero esse intelligitur; rarior verò, si in interiori tubarum, aut *ovariorum* substantia; alteram *ventralem* nec certè infrequentem, quam externam graviditatem diximus; tertiam verò mediam, seu vel inter *ovarii* substantiam ejusque succingentem tunicam, vel ad extremum tubae, ejusque tentorium; ita triplicem caesareum partum distinguere oporteret: Primum nempe, qui internas, sive inprimis propriè *uterinas* praegnationes prospiciens, uteri quoque sectionem deferat; atque ideo internus caesareus partus jure dicatur: Alterum veró, qui externis seu *ventralibus* graviditatibus siné uteri sectione impendatur; quem ideo externum vocemus: Tertium, qui mediis illis *gestationibus* se accomodans, medius ideo appellandus sit. Sed medium caesareum partum mittentes, qui nempe ad externum referri potest; ex interno externoque, primus, vel si *uterinam* ipsam, vel si internam tubae aut *ovarii* graviditatem

Caesareus v[...] vae Mulier[...] partus dupl[...] est, intern[...] & externu[...]

N 3 respi-

reſpiciat; ut rariſſime fit, ita ſemper lethalis eſt, Alter & plerumque adhibetur, & plerumque ſalutaris eſt. Porró externum caeſareum partum, non internum, plerumque adhiberi, ex eo patet; quòd caeſarei partus praeſtentur, quum uterus nullam pariendi diſpoſitionem exerit: Hoc verò nonniſi in graviditate extra uterum contingit: cum in uteri graviditate, ut ut difficilis valdè ſit partus, aliqua ſemper pariendi diſpoſitio occurrat Liquet vero ulteriús, externum, non internum, caeſareum partum plerumque in operam duci; cum internus, lethalis omnino ſit: qui veró caeſareus partus ab Auctoribus deſcribitur, plerumque fauſtus, imó ſoſpite, ſuamque foecunditatem ſervante, matre depraedicetur: Tum inſuper ab iiſdem Scriptoribus nunquam ut internus & *uterinus*, ſed potiùs ut externus & ſimplex, deſcriptus videatur.

Internus caeſareus partus, ſuapiè naturâ ſemper mortiferus eſt.

Atque mortiferam eſſe uteri caeſaream ſectionem, ſeu illam, quae totum hujus fundi latus tranſverſim ab uno ad aliud extremum dilaniat, luce clarius eſt. Namque exſectis uno immaniſſimo ictu, non ſolúm innumeris venis, quarum plures in matura graviditate ad Scriptorii calami amplitudinem dilatatae ſunt, ſed praeſertim innumeris pariter arteriis, quae ad

propor-

proportionem venarum, ſunt quoque enormiter ampliatae, quis miſellam patientem feminam tueri poterit a ſubita, interna, effuſiſſima, immedicabili *haemorrhagia*, comiteque *ſyncope*, *hippocraticâ* facie, ſudore frigido, *aſphyxia* atque nece? Ita Celſus ex vulvae, ſive uteri ſauciatione, non ſolúm mori feminam cum horrendis ſymptomatibus praenunciat; ſed mori inſtar eorum, qui ex inſanabili principis viſceris plaga moriuntur: *morienteſque tandem eadem, quae corde vulnerato, patiuntur* (*). Ita quibus feminis in graviditatis progreſſu, quaecumque interior aut etiam externa cauſſa fuerit, laceratione ei analoga, quae in interno caeſareo partu praeſtanda eſt, uteri fundus diſciſſus fuit, hae omnes poſt momenta nonnulla, inter memorata ſymptomata, miſeré periere. Innumerae ſuper hoc caſu conſulantur hiſtoriae. Imó ad ſubitam gravidis inducendam necem, ipſius vaginae ruptionis ſatis eſt. Retulimus ſuperiús caſum feminae, in maturi partus laboribus ſubito fato functae: In qua aperta, vaginae inferiús versús pudendum abruptio, a violento Obſtetricis niſu praeſtita, cum ſanguinis in abdominis caveam effuſione, pro tota ſubitae necis cauſſa, reperta eſt. Ex omnibus inſuper Hiſtoriis

(*) *Lib. V. Cap. XXVI. §. XIII.*

elicimus, internos omnes *tubarios* partus lethales fuisse. In gravidis enim tubis, quae nempe *uterinam dilatationem* aemulatae fuerint, appellentes & distributae *uterinorum* vasorum propagines, ita quoque dilatantur, ut iis, cum exitu foetus in uteri caveam, abruptis, irreparabilis *haemorrhagia* cum subito, memoratisque in uteri laceratione symptomatibus stipato, genitricis obitu subsequatur: idemque ob eamdem vasorum disruptionem, in internis testium graviditatibus omnino evenire perspeximus.

Eorum, qui internum caesareum partum tuentur, nullae rationes sunt.

Quid, si Principes Caesareae internae sectionis Fautores, neque ullâ ratione, neque ullo experimento, probare hactenus valuere, hanc, incolumi Matre, praestari posse? En binas Herculeas eorum rationes: Primam „ secto utero, „ eumque extendentibus detractis cor„ poribus, seu secundinis cum foetu, „ tota hujus vasis substantia ita spontè „ subitèque corrugatur, atque constrin„ gitur, ut vulneris labra in arctum „ necessario contactum adduci, facilli„ mèque id circò occludi & coalescere, „ necesse sit;, Alteram verò: „ Faciles „ sunt totius uteri amputationes, vi„ vente salvâque Feminâ, ut ex Paulo, „ Aëtio, Avicenna, Nic. Florentino,

Ambrosio

„ Ambrosio ipso Pareo, Aliisque com-
„ pertum est: Igitur & alicujus uteri
„ partus sectiones, incolumi quoque Fe-
„ mina, non difficiles erunt „ (*n*) Sed primùm ab illis inquirimus: Cur ergo spontaneae uteri disruptiones, cum foetibus & *secundinis* in ventris caveam projectis, semper lethales sint; dum in iis non minori negotio uterus deberet contrahi, discissaque idcircó ejus latera accedere, ac revinciri? Sed eadem certè in spontanea, atque artificiosa uteri scissura, infausti successus est res. Porrò uterus in naturali partu, exclusis cum foetu *secundinis*, viribus suis relictus, in contractionem non ita festinat; quin post unum, saepe & alterum diem, eadem fermè, atque in postremis graviditatis temporibus, ejus extensio tactu percipiatur. Ita puerperis non paucis, variam in partu sanguinis copiam eiicientibus, lochia aliquot dies, nulloque incommodo, saepe deficiunt; Postmodum paulatim effluunt: quum nempe corrugari uterus atque restringi, contentumque idcirco in amplis suis canalibus sanguinem, foras exprimere coeperit. Quid igitur, extracto per Caesaream operam cum propriis involucris foetu, sperandum fiden-

(*n*) *Ex Rosseto, Rulaeo, ac Sectatoribus*.

ſidendumque eſſet, in lenta tardaque uteri *corrugatione*; ut tanta, & tam turgida tamque ampliata vaſa, ab eadem occludi expeditè contingeret? An non in ſauciato utero neceſſariè ſuccedens inflammatio, majoremque ideo ſanguinis copiam vaſorumque plenitudinem inducens, *corrugationi* uteri, vulneriſque idcircò *occluſioni*, e diametro adverſabitur? Quod ad decantatam illam totius uteri extirpationem, aut amputationem attinet, tutò aſſerimus nos, hanc ſinè ſubitâ Matris nece impoſſibilem eſſe: Hinc toto Coelo fuiſſe eos allucinatos, qui aliquam uteri propendentem extuberationem amputantes, totum exſecuiſſe uterum, ſalvâ feminâ, rati ſunt. Etenim extirpato ſectoque toto utero, eiuſque ideo divulſis quoque, & apertis quatuor ingentibus arteriis, quae ipſum indé totum ramis innumeris uberrimo irrigant imo inundant ſanguine, ſeu binis *ſpermaticis* totidemque *hypogaſtricis* arteriis (praeter quaſdam alias diverſae Claſſis minores) an non ex iis una ſolúm, ſubitae, irreparabili, lethali, internae inducendae *haemorrhagiae* ſat eſſet? Quid verò de quatuor ampliſſimis fontibus, ſalientem ſanguinem pleno gurgite ſimul effundentibus, dicendum? Quis porrò haec

haec sanguinem ejaculantia vasa comprimat; quis liget, aut cauterizet? Quis verò Virorum praeceps non periit ex iis, quibus testes exsecti sunt; nisi apertis eorum arteriis promtè prospectum fuerit? & tamen binae solum virilibus testibus, seu *spermaticae* arteriae, datae sunt: atque hae *spermaticis* uteri arteriis, saltem *hypogastricis*, certe minores. Sed quae revera non sunt, fieri tamen concedamus. Igitur in viva femina totus uterus exsecetur; divellatur: An indé non gravidi cum gravido utero comparatio facienda erit? An non, primi sanguinea vasa, alterius vasis ultra omnem mensuram minora atque inaniora esse, bonis omnibus Anatomicis liquet? Quomodo igitur ex *haemorrhagia* ab utero non gravido extirpato, quam quidem non lethalem esse ex animi lusu fingimus, *haemorrhagiam* in gravidi uteri vulnere, ab uno ad aliud ferme ejus extremum inflicto, lethalem quoque non esse, tam leviter deduci poterit?

Neque ulla eorumdem praestita sunt experimenta, aut observationes.

Rationes igitur eorum, qui Caesareum partum cùm uteri caesione fieri arbitrantur, satis explosimus. Nunc eorum super his rebus productas observationes videamus. Itaque Rossetus, qui primus caesareum partum expressim tractavit, cui

ideo

ideo, tamquam Anteſignano, ſanè omnes ſe deferunt, qui poſtea de conſtanti ſectione uteri in caeſareo partu ſcripſerunt; cum hanc ſectionem in ſuas ſpecies diſtinguere non cogitaverit; internam ideó, ſeu ſoetus cum caeſione uteri *extractionem*, ſoſpite matre exemplis variis, praeterquam rationibus, probare contendens, nullo quidem pacto probare potuit: ſuam enim caeſarei partus definitionem, videlicet „ ſcitam ac dextram „ Infantis ex utero materno & quidem „ per latus extractionem, citra ullum al„ terutrius aut amborum, Matris puta „ aut Foetus (modo adventitio malo non „ premantur) vitae diſcrimen, incolumi „ etiam ſervatâ impoſterum matri pa„ riendi facultate„ imò & ſuas ejuſdem ordinis mortuorum jam foetuum ab utero extractiones [x] ſuae illae allatae hiſtoriae ſatis firmare non valent (y) Harum enim prima, [quae etiam ex relatu eſt] potiùs probat repetitas extra uterum graviditates; totidemque habitas caeſareas ſectiones, externas tantummodo, non verò internas & propriè *uterinas* fuiſſe. In femina enim, non ſecus ac noſtra á nobis ſuperiùs propoſita, ſexies pcr uterum parere omninó inepta, ideo-

(x) Υστεροτομοτοκία *ſect.* 1. *Cap.* 1.
(y) *Eod. oper. in ſequentibus*

ideoque ſemper exſecta, & ſemper viventes foetus enixa, & ſeptimùm quoque foecunda praeſtita, quomodo uterus (aliis omiſſis inelucabilibus difficultatibus) ſex diſtinctis, & enormibus ſuſdeque cicatricibus deformatus, atque in totidem earum locis induratus occallatuſque, neceſſariam illam ſe undique diſtrahendi, contrahendique habitudinem, geſtationibus ſanè neceſſariam, ſervare potuiſſet? Altera hiſtoria, & tertia, & quarta, ſimiles quoque extra uterum graviditates, easdemque ex relatu praeſeferunt: Ita quinta & ſexta nihil *uterinae* graviditatis demonſtrant: quamquam in iis Roſſetus ſectionum cicatrices viderit: & in ſexta Juvenis, qui inciderat, imperituſque tonſor vidiſſe uterum ac ſecuiſſe dixerit; cum ſaccum potiùs aliquem, qui foetum hoſpitio recepiſſet, vidiſſe ipſum ac ſecuiſſe putandum ſit. Septima Hiſtoria ejuſdem farinae eſt; & a pagano Homine cum cicatricis teſtimonio Auctori tradita: Octava ex ſola Tonſoris; nona ex ruſtici Chirurgi narratiuncula, ſinè ulla *uterinae* ſciſſionis mentione habita: Decima tandem á duorum Chirurgorum aſſertione elicitur: neque caeſaream propriè ſectionem aperit. Quid igitur conſtantis & veri ab iis hujuſce Viri Hiſtoriis compertum

eſt

est nobis; praeterquam super tres femineos ventres, totidem Eum cicatrices vidisse? Additae iis ab Antiquis vel Recentibus Historiae, quae ruptos aut putrefactos uteros, hinc foetus ab ipsis in ventris caveam elapsos, postea per abscessus aut sectiones eductos, incolumi atque etiam iterum foecundâ Matre, describere visae sunt, *ventrales* solùm, superiores aut inferiores graviditates, sinè ulla uteri laesione aut conspiratione, revera describunt: neque enim ex iis Historiis genuina gestantis uteri, internique indè partus, signa elciuntur. In recenti ea, quam retulit peritissimus Birbekius, (*) videre est „ mulieri partus dolori„ bus correptae, *secundinae* simile corpus „ obstetricis manibus fuisse ab utero ex„ tractum: elapsâ circiter hebdomadâ fe„ tidum humorem aliquandiù e vagina „ exiisse; hinc ad *hypogastrium*, postea „ ad *umbilicalem* regionem cum dolore „ tumorem prodiisse; ipsumque indè suppu„ rasse cum magno fetidi luridique liquo„ ris exitu: appositas ulceri partes, imò „ albae lineae, musculorum abdominis, „ *peritonaei* omentique portiones, in cor„ ruptionem ivisse: ex latissimo fetidissi-

moque

(*) *Saggio delle Transaz. Filos. della Soc. Reg. &c. Tom. III. facc.* 30.

„ moque ulcere, foetus minora ossa
„ sponte fuisse prodita; majora porrò,
„ dilatato hiatu exemptâque corruptâ car-
„ ne, a laudato Viro, cum caeteris cor-
„ rupti nigerrimique foetus partibus pu-
„ tridoque liquamine, partitis vicibus lon-
„ goque opere extracta: Hinc demum
„ consolidato ulcere, simulque *uterino*
„ deleto fluxu, feminam pristinae valetu-
„ dini fuisse redditam „ Nihil tamen con-
tigisse in casu videtur, quo quisque sua-
deri valeat, foetum priùs in utero exti-
tisse, postea in ventris caveam fuisse par-
tum. Ita cum obstetrix, primo illo ex
utero extracto corpore, nihil indè in ute-
ro superstes esse, tum feminam detumere,
eamque ab extracta illa substantia valde
fuisse recreatam, uterumque ad naturalem
statum retractum, dignovisset; non quidem
secundinam, sed molam potiús aut falsum
germen exiisse ab utero jure censuit.
Non enim verae seu *uterinae* graviditatis
internique indè partus, indicia aliqua se
obtulerunt. Et quamquam vitiosi indè
puerperii quidpiam effluxerit, neque ta-
men gutta sanguinis effluxit ex illa parte,
quae si pro interno partu fuisset abrupta,
abnormem sanè, atque ad pudendas par-
tes impensè exundantem, *haemorragiam* in-
tulisset. An non igitur satiùs esset in-

ferre:

ferre: falſum in utero conceptum cum alio extra uterum, ſeu *ventrali*, in illa femina ſimul adfuiſſe; a *ventrali* verò aliquando corrupto, memoratoſque morbos inducente, exedens tabum fortè ad uſque imum vaginae extrinſecùs deſcendiſſe; eamque, ut fluxus indè manaret tabificus, nonnihil roſiſſe? Vetuſtiores Hiſtoriae, & maximè quae Roſſeti libro a Bauhino ſuperadditae ſunt, tum quae in eodem ex Aliis plurimis enarrantur, hae ſanè omnes, aut ſolúm *ventrales* graviditates, & externas ſectiones aperté deſcribunt; ut prima Bauhini, in qua legitur: *Primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, ut ſubito infans abſque laeſione extractus fuerit*; aut internam ſolúm uteri corruptionem cum nece matris depromunt.

Neque Analogiae. Allatae caeterúm á Roſseto Sociiſque, ad uteri firmandam ſectionem, ſanabilium in aliis humanis partibus vulnerum analogiae, nullius quidem momenti eſse videntur. Et ſanè inteſtinorum atque veſicae vulnera, cum uteri vulneribus comparanda non ſunt: cum omnino hae partes fabricâ vaſorumque ratione, ab utero differant; earumque plagas ſuapte naturâ ſanabiles eſse, quotidiana experientia doceat. Neque uteri apoſtemata, ulcera, procidentiae, imó aliquarum ejus corruptarum partium ad pu-

pudendi ora sectiones aut extirpationes, facilem, atque sanabilem in caesareo partu uteri sectionem demonstrare possunt: cum eadem ratio sectionis vasorum non sit. Quae enim hìc,ab Antiquis vel Recentibus collectae, succrescunt Historiae, non quidem totum uterum ex pudendo abscissum, sed aliquam solùm internam, & in primis *vaginalem* ab eodem solutam partem, dissectam fuisse comprobant. Et sanè totum excidi aut absumi, incolumi femina, uterum, non in Mulieribus solùm, sed & in ipsis met brutis, fabellam esse putamus: neque enim totus abscindi potest, nisi totus foras e rima procidat, atque propendeat: Quo autem modo in non gravidis, neque recèns puerperis feminis, in quibus valde major laterum uteri densitas est, quàm ei insit cavitas, hoc vas a tot tantisque quaquaversum appositis validissimis vinculis non tantùm solvi, sed totum inverti, atque ita inversum foras propendere posset? Ita Hippocratis loca: *Quum uteri ex loco moti fuerint.. Si uteri extra naturam progressi fuerint..Si uteri extra prominuerint.. Si penitus ex pudendo exciderint uteri, dependent velut scrotum.. Si extra pudendum os uterorum exciderit* (z) aliaque plura; vel de solis uteri adversùs

O alias

(z) *De morb. Muliebr. lib. II.*

alias partes consensibus, vel de collo, non fundo uteri, extra pudendum procidente intelligenda sunt.

Perpenduntur Rulaei, Aliorumque ab eodem adductorum, Historiae.

Demum Rulaeus, qui multo recentiùs de caesareo partu librum edidit, in eodem sanè Rosseti, Bauhini, Roderici a Castro, Fieni, Mizaldi, Cornacis, Gassari, Scipionis Mercurii, Laurentii, Cordaei, Albosii, Manialis, aliorumque, quos sibi addere comites studet, errore versatur. Hic etenim, dum caesareum partum semper cum uteri sectione esse, propugnare contendit; solam illam, quae ipsi contigit, caesionem non quidem internam, sed potiùs externam, seu non ad *uterinam*, quin imó ad *ventralem* graviditatem fuisse institutam, aperté testatur: In hac enim, quam caeterúm nimis sicco pede traijcit, non solúm secuisse uterum non probat, sed potiús non secuisse probat; (*a*) cum parum ex hac sectione doluisse feminam, tum valdè modicum ex vulnere (quamquam in matura graviditate, uteroque sanguineis succis impensè redundante praestitum fuerit) extitisse sanguinis fluxum; pracipuè verò cum nihil sanguinis ex utero, totum veró ex inflicta plaga defluxisse, fateatur. Caeterae, quas idem addit,

aliorum

(a) *Traité de l' Operation Cesarienne Chap. IX.*

aliorum Historiae, ejusdem omnino rationis sunt: Illae omnes scilicet, non secus ac aliae Rosseti & sociorum, quas memoravimus, non conveniunt quidem cum iis Massariae superiùs allatis (*b*), in quibus sectae omnes feminae perierunt: nempe ut putandum est, quoniam nimis audaci Chirurgorum cultro sectae usque ad uterum fuerant; sed conveniunt appositè cum nostra illa, superiús pariter fol. 104. memorata Germani gregarii Militis femina, quae in matura graviditate solis ventris sectionibus parere solebat: atque harum sectionum plures non solùm in Castris cum multa rerum inopia sustulit, neque majus incommodum passa, quàm alia Mulier in partu nonnihil difficili habuisset; sed ipso proficiscente exercitu recèns secta, post quatuor aut quinque dies, revoluto suo humerisque gestato grabatulo, & vix simplici fascia obducto vulnere, ipsa etiam ponè Milites, & pedestris, progrediebatur. Cumque ante aliquam ejusccemodi caesionum celebris olim nostra *Catharina* Paliusa, Angeli Obstetrix dicta, casu ad spectaculum accersita, cervicem uteri sedulò exploraverit; mihi saepiùs testata est, nullum omninó *uterinae* graviditatis signum invenisse: Interea post ali-

Germanae Mulieris iterum adducta Historia.

O 2 quot

(b) *Lib. IV. Pract. Med. Cap. XII.*

quot momenta temporis, vivum maturumque foetum, sectione ventris ex hac femina citissimé a Castrensibus Chirurgis extractum, vidisse, mihi insuper eadem Obstetrix asseruit: Tum verò totum inferiorem hujus feminae ventrem sub umbilico, dextrorsum ac sinisttorsum, enormibus caesareorum partuum cicatricibus obsitum adspexisse: Ut ideo ipse putem, in utraque hujusce caesareorum partuum heroinae feminae tuba, ovorum trajectui extitisse obstacula. Interea Militares Chirurgi feminam hanc secare soliti, denegare non potuissent, ea, quae illi infligebant, vulnera, *primae* dumtaxat, ut dicere solent, *intentionis* fuisse, seu simplicem solutarum partium consolidationem exigentia: Nihilo tamen minús constanter putabant, ferrum ipsos semper ad usque uterum impulisse; & ab ejus cavea caesareos illos filios extraxisse. Neque aliter certè in hoc casu judicassent Rossetus, Rulaeus, Albosius, Bauhinus, Rodericus a Castro, Bauschius, Fienus, Mizaldus, Aliique principes omnes, caesarei interni partus Fautores.

Et Aliorum quoque solemniores super hac re perpenduntur Historiae. Atqui, quae aliorum quoque, praeterquam Rosseti & Rulaei, leguntur de iis casibus Scriptorum Historiae, vel sanè graviditates extra uterum, & in iis

iis solùm susceptum externum, ideoque salutarem, describunt Caesareum partum; vel funestum exhibent, quum internus fuerit, seu in *uterina gestatione* uterique vulnere revera celebratus; vel, cum ex spontanea uteri disruptione promtas puerperarum neces enarrent, artificiosam ipsam hujus visceris per Caesareum partum disruptionem manifestè condemnant. Ita binae Historiae, quas affert Vorvvaltnerus (*c*), memorans alterâ magnum ad umbilici loca tumorem, quem Chirurgus ad suppurationem perductum aperiens, Foetum putridum frustulatim extrahebat, ulcere dein feliciter curato, & feminâ posthac sanos alios partus edente; alterâ verò tumorem consimilem, ex quo Foetus membratim pariter, at nimis violenter evulsus, ita intestina dilaniaverat, ut ibidem novus idemque deinceps perpetuus, inferiori naturalique suppresso, excrementorum anus superesset, feminâ tamen, quod ad caetera, incolumitati redditâ; Hae, inquam, Historiae, *ventrales* conceptus, nullo pacto *uterinos*, testantur. Nec diversi generis est alia a cel. Mangeto (*d*) memorata & quae

[c] *Ephem. Curios. Dec.* III. *Ann.* IV. V. *&* VI.
[d] *Bibl. Chirurg. lib.* XIV.

a Platero, (**) aut Th. Bartholino eſt edita: (*e*) Et quae imó a celebri obſtetrice Borgheſia, ſenonenſis Foetus, XXVII ann. geſtati ac velut lapidei praeſtiti, memoriae renovatur (*) Ita Tulpii Hiſtoria (*f*) Foetus fruſtulatim per alvum excreti, oſtendit non diſſimilem memoratis ſuperiùs, conceptum, inter uterum rectumque inteſtinum in pelvi habitum. Ita in annoſa illa londinenſi muliere, quam refert Eques *Skippon* (*g*) poſt XXVIII. annorum graviditatem abſceſſus ad inguen ſponte proditus, leniterque apertus varia Foetus oſſa eiiciens, ſeu caeſareum naturae operâ, ſiné gravi incommodo ſalutarem partum aggrediens, *uterine geſtationi*, ruptionique referendus eſſet? Iam dudum Horatius Augenius (*h*) cum *uterinum* duorum annorum conceptum poſterorum memoriae tradidiſſe putaret, tradidit inter uteri & recti fiſtulam praeſtitum, cum corruptione indè Foetus, inteſtini atque uteri. Porró quae Hiſtoriae peculiari ad Hildanum Epiſtola a Doringio ſcriptae ſunt, cum

(**) *Pract. lib.* I. *cap. IX.*

[e] *Lib. de inſolit. part. viis*

(*) *Obſerv. div. liv.* I.

(f) *Obſervat. med. XXXX. lib. IV.*

(g) *Sagg. delle Tranſaz. filoſ. &c. Tom. III. fol.* 31.

(h) *Lib. II. de Hom. part.*

cum sciſſione uteri funeſtos Caeſareos partus exhibent. Earum prima eſt, quam Sennertus jam dederat (*i*) Mulieris gravidae, ad inguen percuſſae, hinc ad hunc locum, ab enormiter & ſinè ulla ope, ad uſque ima femoris procidente utero, graviſſimè hernioſae praeſtitae, hinc Caeſareâ operatione ad uſque uterum ſectae; quae cum *lipotyhmia* brevi moriebatur. Sequens Hiſtoria, a Polio & Meigenio deſſumpta, (*l*) praebet mulierem, quae gravidi quoque uteri herniam, ad uſque genu propendentem, & ut prior, reponi ineptam, patiens, eandem ſectionem tulerat; & citiús primâ defuncta eſt. An non quae gravida Mulier, a Ledelio (*m*) tradita, ſibi ipſi internum Caeſareum partum inflixerat, promtâ nece temerarii facinoris poenas perſolvit? At verò in Hildani reſponſione ad Doringium ſuperadditur Marchandeti narratio de caeſarea ſectione in mulieris, xxv. menſes cum dimidio gravidae, tumore ad umbilicum ſuborto: Atque altera Cornacis reſcribitur, de eadem operatione in gravidae ſeminae jam ſpontè priús perforato

(i) *Inſtit. lib. II. part. 1. cap. IX.*
(l) *Hiſtor. Nucl· claſſ. 1. cap. IV.*
(m) *Miſc. Cur. Dec. III. ann. 1.*

forato umbilico. Porró in iis ut *ventrales* revera graviditates, ita & externi ſolummodo Caeſarei partus deſcribuntur. Cum caeterúm ruptis in partu uteris, matres illicò mori, non ſolum ex Knoblochio (*n*) Salmutho (*o*) Doldio (*p*) Dobrzenskio (*q*) Scholzio (*r*) Tudeccio (**) Aliiſque plurimis ſit admonitum; ſed laudatus ipſe expertiſſimus Hildanus in feminarum, *dyſtociâ* laborantium, hinc ſubitò mortuarum, Cadaveribus, laceratos uteros, & infantium corpora aut capita in ventris caveas propulſa, pro tota obitus cauſſa tam frequenter dignoverit (*s*) cur Idem indè tam facilè reri potuiſſet, poſſe gravidas utero ſecari, atque vivere, planè non intelligo. Et ſi Hildano Caeſareae, vel internae, ſectiones ita videbantur inſontes, cur in caſu, quem affert (*t*) Hertogii, ejus incuriam non increpat, tanquam ſcilicet non imperantis Caeſaream ſectionem in illa femina, in qua a multis

(n) *In Obſervat.*
(o) *Cent.* 1. *obſerv. XVI.*
(p) *Epiſt. med.*
(q) *Miſc. Curioſ.* 1670. *obſ. XVIII.*
(r) *Ibidem* 1671. *obſ. LXXXVI.*
(**) *Ephem. Cur. Ann.* 11. *num.* 254.
(s) *Cent.* 1. *obſerv.* 57. 64. & 67. & *Epiſt.* 12.
(t) *In reſponſ. ad Doringium.*

tis annis Foetus *sceleton*, a natura foras e viscerum gremio expulsum, subcutaneum erat; cujusque partes singulae ab omnium tactu discernebantur; feminâ caeterùm *continuò flagitante, summisque precibus contendente, ut abdomen ei manu medica aperiretur; exempto nempe Sceleto se sanitati pristinae restitui posse contendente*? (*u*) An non Hildanus Chirurgos admonet, *ne ab hujusmodi operationibus manus penitus abstrahant: sed potius aliquid cum periculo tentent, quam aegrum in mortis periculo relinquant?* (*x*) Traditâ a celebri *Rivalier* Historiâ (*y*) non *uterinam*, sed *ventralem* aperiri graviditatem, facilè constat ex descripta *omnimoda* in ipsis materni partus doloribus constantique *interni uteri oris clausura*; tum verò maximè ex menstruis ipsis, hujusce graviditatis tempore, restitutis fluxibus. Verumtamen minora quaedam foetus ossicula ex matris vagina prodiere; cuius quidem *uterini* tubi infimam partem ab acerrimis ichoribus, e superiori graviditatis suppurato loco elabentibus, fuisse erosam, jure statuimus. Ita ex vagina, prae caeteris partibus, acerbè constan-

[u] *Enchir. med. consult. Mat. Corn. fol.* 214.
[x] *In cit.* Respons. *ad Doringium*.
[y] *Manget. Bibl. med. pract. Tom. III. lib. XIV. & alibi.*

ſtanterque dolente, puris, ichorum, & ſanguinis interdum copia profluebat: Atque ex partium continuitatis conſenſu diarrhoea, teneſmus atque ſtranguria ſuccreſcebant. Majora tamen oſſa, capilli, aliaeque foetus praecipuae partes, per umbilicum, ubi revera graviditas erat, exiere. Denique *uterinus* Fluor, qui non niſi exhauſto *umbilicali* tumore, & majoribus foetus corporis eductis partibus, deſiit, ſatis oſtendere videtur, omnes vaginae excretiones ex illo eodem gravidi tumoris loco effluxiſſe. Sanè a corrupta illa graviditatis ſede plures foetus ſolutae partes huc illuc, & praecipuè ad infimas partes ventris irrepſerant: *Quaedam oſſicula deprehendimus* (a) *quae deſcriptum inter peritonaeum, muſculoſque abdominis eroſos, prope dextrum inguen latitabant: Maximamque item capillorum copiam, palmari latitudine ab umbilico diſtantium deſuper & a dextris, ubi foetus caput antea recumbebat*. Quâ de re, ad perfectam curationem dextrum ipſum inguen incidi oportuit; ut illapſa ad hunc uſque locum tria oſſicula evellerentur. An non haec omnia, revera *ventralem*, non *uterinam*, fuiſſe graviditatem convincunt? Geſtationem illam a Lankiſchio deſcriptam (b)

(a) *Ex ead. Hiſtor. cit. loc.*

(*b*) cui caesarea operatio est prae stita, non probatur *uterinam* fuisse; *quamquam callosus tumor in vaginam succrevisset, totumque fere canalem, relicto solùm foraminulo, pisi magnitudinem & rotunditatem adaequante, repleret;* sed potiùs *ventralem;* cum *nullum grave symptoma, imò ne lipothymia quidem, successerit sectioni*: Quam ideo, externam quoque statuimus. Sed quorsum nam reliquas, neque hercle memoratis dissimiles, hujusce generis sexcentas Historias recenserem?

Cum igitur neque genuinam caesarei partus rationem, neque ejus differentias plerique Auctores dignoverint; eumdem malis definitionibus ulteriùs obscurarunt. Nam praeter superiùs expositam, quae a Rosseto efficta est, malam quoque Varandeus litteris mandavit; seu: *caesareum partum* esse *Infantis in utero existentis extractionem per sectum abdomen & uterum* (*c*) cum hic partus sinè uteri sectione plerumque sit: Perperam quoque definiit Rodericus a Castro: *extractionem foetus ex utero matris, quae foetum aliter excludere non potest:* cum chirurgica manus, foetum extrahens in difficili partu, uterum non caedat. Sed similibus omissis aliis, illa nobis caesarei partus praestantior definitio

Solus igitur externus Caesareus partus, licitus est.

(b) *Miscell. Curios. Dec. III. Ann. II.*
(c) *Lib. II. de Affect. Mulier. cap. VII.*

finitio est: *Extractio foetus vivi, vel mortui à praegnante Muliere viva, vel mortua, per ejusdem ventris sectionem*. Ad quam pariter Zacchias accedit (*d*). Quòd si naturam, & differentias caesarei partus, & cur ita sectae feminae moriantur plurimae; plurimae verò supersint, adamussim novissent hi Omnes, quibus variis de rationibus hujusce rei pertractatio incubuit, seu *Canonistae*, Medici, Jurisconsulti, Philosophi, Historici, Chirurgi, Theophilus Raynaudus, Alphonsus Cartagena, Rodericus Toletanus, Franciscus Marcus, Hildanus, Polanus, Schenchius, Laurentius, Mercatus, Sennertus, Fienus, Bauschius, Diemerbroëckius, Cortesius, Romelius, Donatus, Mercurius, *Marchant*, Caranza, Zacchias, Paraeus, *Mauriceau*, Mellius, Aliiq: superiùs memorati Medici Chirurgique; aut etiam non commemorati; Alii operationem hanc ad usque uterum salvâ Matre fieri posse negantes; Alii è converso affirmantes; Plerique solis Aliorum relatibus, non solidis experimentis insistentes; profectó confusam rem, neque rectè hactenus perceptam, inanibus controversiis atque quaestiunculis non ulteriùs obscurassent. Quapropter cum illa nostro huic saeculo lux affulserit, quâ quidem pervicaciora praeju-
dicia

(d) *Quaest. Med. Leg. lib. IX. Tit. II.*

dicia singulis scientiis feliciter abstergantur: Hoc quoque de Caesareo interno opere praejudicium aliquando deleatur. Curent igitur inposterum Homines, internam caesionem in gravidis ab exteriori distinguere. Theologi, *Canonistae*, Jurisperiti in vivâ feminâ externam licitam, internam verò omninò illicitam, seu homicidam esse, pro certò habeant: nec Medicorum, praeterquam verè scientium, & revera Anatomicorum, sententiis fidant: nisi velint res sibi imponi, vel ineptiores illis, quae de ingressu Animae in masculum humanum corpus post triginta à conceptu dies, in femineum post quadraginta; & de intima atque ideo nobiliori, obtenta in utero sede ab illo ex gemellis Fratribus, qui postremus in lucem prodierit, sunt creditae. Medici non nisi in recèns mortua praegnante internam sectionem praescribant. Chirurgi, quibus Caesareus partus, quod ad finem, & quod ad modum, hactenus fuisse ignotus videtur, imposterum interiorem cum exteriori confundere ampliùs non audeant. Philosophi de eo saniús ratiocinentur. Historici demum non omnes super his rebus tonsorum, aut muliercularum inanias & gerras recolligant; facilèque in vulgus insinuent. Tempus enim esset, nos non minùs iis, quàm tot aliis, a bona Anato-

me

me abhorrentibus erroribus, quibus ubicumque obsidemur, aliquando expediri. Nostrum verò hîc adhuc sit, pro Caesarei partus disquisitione ad umbilicum perducenda, inquirere in notas variarum extra uterum graviditatum; indèque in iis dignoscere, quando necessarius; quando verò perniciosus; imò & quando mortiferus; externus Caesareus sit partus. Itaque

Variarum extra uterum graviditatum Notae.

Quae feminae extra uterum gestant, omnes quidem causariae sunt; nec multiformium febrium, nec dolorum, nec *anorexiae*, *cachexiae*, oedematum aliarumque affectionum plerumque immunes: tum earum graviditatis tumor ab uterinae graviditatis tumore non parum discriminatur. Namque in iis, quae naturaliter gestant, (nisi uterus potiús ad latera, aut ad posteriora extendatur, ut revera persaepe contingit) primis ipsis mensibus indolens fundi uteri tumor subrotundo-planus, aequalis, ac veluti levigatus, ad *Hypogastrii* medium à peritis manibus aperté tangitur. At verò earum praeter naturam graviditatum neque ille locus est, neque illa tumoris figura, aequalitas, levitas. Si enim in alterutra tuba *gestationis* sit tumor; jam dexter, vel sinister est: magisque à ventris medio recedit, si alterutrum *ovarium* occupat: Inaequalis insuper, rudis, acumina-

natior eſt, naturali durior, atque ad temporis rationem minor: Neque comprimi ſinè dolore, aut aliquo moleſtiae ſenſu poteſt. Major veró à tactu preſſioneque moleſtia eſt, ſi gravidum intimum *ovarium* ſit; minor, ſi tuba. Atqui gravida interdum tuba ita verſùs corporis centrum interùs inflectitur, ut neque lateralem moleſtiam, neque imò lateralem dolorem habeat: Non raro ad alterutrum quidem latus defigitur; ſed nimiùm quoque interiús producta, atque in inteſtinorum anfractibus velut ſepulta & immerſa, obſcuram tumoris atque moleſtiae ſpeciem, non claram & perſpicuam exhibet. Ita evenit in Vercellènſi, ſuperiùs à Cl. Guala deſcripta, *tubaria* graviditate: Quae ſolita idcircò externa ſigna vix detulit. *Ventralis* graviditatis tumor, vel ſuperior eſt, ſeu in majori abdominis cavea; vel inferior, ſeu in minori, quae pelvis dicitur, ſitus. In majori cavea; foetus tumorem faciens plerumque exterior, ſeu ſubcutaneus eſt, ſeu viſcerum externis faciebus ſuperſtratus: Hinc cum in lata ſede, & ad ductiles, lubricas cedenteſque partes connexus ſit; preſſus non tam moleſtum ſenſum inducit: induceret tamen, ſi cum intimis partibus profundiùs coaleſceret. Sed hujuſmodi intimarum *ventralium* ſuperiorum graviditatum

tum genera sat rara sunt. Pelvis veró graviditates, cum visceribus ossibusque, arctè invicem constrictis & nexis, immersae plerumque sint, hinc semper viscera violenter premunt. Premens ideo tactus, ad quamcumque gestantis pelvis regionem inductus sit, molestus est. Nec solùm à premente manu, sed sinè pressione aliave qualibet externa caussa, graviditates extra uterum factae, suaptè naturâ *doloriferae* plùs minùs, aut aliter molestae sunt. Ita licèt ad initia, *testiculares*, aut *tubarii*, aut superioris ventris, aut pelvis conceptus, vix esse molesti videantur; postea verò vel semper vel frequenter ita sunt: Progressos *Testiculares*, praecipuè intimos, intimosque *Tubarios*, maximi comitantur dolores, ac fermè perpetui: tum veró praesertim excitantur, quum foetus movetur: Non leves & in illis conceptibus percipiuntur, qui in pelui inhabitant: Qui tamen dolores plerumque intervallati sunt; tum principio, quoniam exilis est foetus, & viscera, quibus interponitur, interdum cedunt; tum progressu, cum in foetu, ad has sedes citò moriente, vis quoque extendens depereat. Minores, in *tubariis* externis conceptibus cruciatus sunt: Leviores ob allatam caussam in superiús *ventralibus*. Quare *uterinae* graviditates in genere ab omnibus non

ute-

uterinis initio, maximèque progressu, luculenter distinguuntur: Illae enim principio plerumque incommodae sunt; indè verò leviores & lenes; ut quò magis tum escit venter, eò minora ab eodem sentiantur incommoda: sed istae ex adverso leniores principio sunt, cum hystericas, ut illae, res, aliasque uteri *Diatheses* non moveant: progressu tamen cum partes, quae ductiles reapse non sunt, per vim extendant & distrahant, non nisi cum acrioribus semper cruciatibus in propria incrementa progrediuntur. (Semper de vivis & crescentibus foetibus loquimur: nam si ii mortui sint, caussa etiam majorum extensionum, ita & majorum cruciatuum, extincta est.) Porrò *ovarii* extensiones, praecipuè si in interiori substantia efficiantur, tubae extensionibus mòlestiores sunt; cum illud plenius atque solidius istâ sit corpus; neque in *extensilis* canalis formam atque rationem, velut tuba est, suapte natura instructum atque dispositum. Idcircò intimae *ovarii* graviditates diù gestari non possunt; sed ante tertium mensem cum matris interitu abortiuntur: tubariae veró interiores diutius protractae occurrunt. Sed quæ inter propriam *ovarii* substantiam, ejusque succingentem tunicam graviditates contingunt, ob *extensilem* tunicae *sacciformis*

mis rationem, maturitatem conſequi, quamquam non ſinè ſummis cruciatibus, valent. In noſtra illa, primùm *teſticulari*, poſtea *ventrali*, taurinenſi graviditate, luculentum hujus rei exemplum proditur. Caeterùm quae in majore abdominis cavea *geſtationes* fiunt, progreſſu, prae vitioſis aliis, minùs moleſtae ſunt; quoniam, ut diximus, in amplo, vacuoque ſpatio ductilibus valdè partibus circumdantur: ſed quae in pelvi creatae ſunt, ubi oſſea clauſtra extenſionibus circumquaque obſiſtunt, gravibus ſaepè ſtipari doloribus, praecipuè ab oſſe pubis ad ſacrum, inſtar infixi terebrantis clavi, porrectis, in comperto eſt. Maximè verò ſuperiores *ventrales* graviditates, vomitus & nauſeae ratione, ab *uterinis* diſcriminantur: Hae nempe affectiones ſi in *uterinis* principio adfuerint, progreſſu plerumque minuuntur: Ex oppoſito, in progreſſu ſuperiorum *ventralium* plerumque invalent atque ingraveſcunt.
In graviditatibus, quæ non ſolúm *ventrales* ſuperiores ſunt, ſed ex ipſo initio ſunt tales, lac nullum in mammis conficitur: Neque enim in mammis redúndat hic liquor, niſi *uterina* vaſa eo ſingulari modo premantur, quo liquorum undam per communes his partibus ductus confluere in mammas contingat. Cum nullum ergo in-
ter

ter *gestationes* hujusmodi *ventrales*, atque *uterina* vasa, commercium sit, nulla ab iis uberum plenitudo conficitur. Sed ab illis, quae in *uterinis* appendicibus, seu *ovariis* & tubis, gestationes sunt, quatenus *uterina*, quae cum iis partibus coeunt, satis premuntur vasa; tum verò iidem fermè pressionum modi super attiguas *uterinas* partes à delapsis auctisque in pelvi foetibus habeantur; idcirco non *testiculares* solùm, ac *tubariae gestationes*, sed quae etiam in pelvi celebratae sunt, lactis copiam in mammas adiiciunt. Rursus in testium, atque tubarum graviditatibus, cum pleraque internè occupata *uterina* communicantia vasa sint, tum tuba, saltem alterutra, aut alterutrum *ovarium*, impediatur, addatque se comitem improba gestantis feminae valetudo; neque ideo in iis menstruae purgationes superveniunt; neque novi conceptus contingunt. At verò cum *ventralium* inferiorum *gestationum* consensio, cum externis tantum uteri vasis sit, non cum internis, neque cum ejus appendicibus; superiorum veró graviditatum nullum cum *uterinis* partibus commercium intercedat; eapropter in *ventralibus gestationibus*, cum superioribus tum inferioribus, menses ac *superfoetationes* advenire possunt. Demum inferiores, quæ extra

uterum ſunt , in genere graviditates , vel ſi *teſticulares* , vel ſi *tubariae* ſint , vel ſi cavo pelvis ſuccretae ; nullam plerumque vim reſpirationi inferre conſueſcunt , cum à reſpirandi organis diſſito loco arceantur : Veſicae verò rectoque inteſtino proximae, eorum potiús alterandis functionibus conſpirare queunt. Sed ſuperiores graviditates , omiſſo inteſtino ac veſicâ, quae ſanè remota ſunt , premendo impediendoque Diaphragmati , aliiſque ſpiritalibus vicinis partibus , aptiores ſunt : niſi ab eis per extrinſecús protruſum ventris ſaccum removeantur. Quare graviditates extra uterum ſingulae , à tumoris loco atque forma , ab incommodis , aliiſque comitantibus rebus , praeſertim ab ipſo uteri ſtatu , tum principio ac progreſsu , tum ſi partus ſuperveniant conatus , ab *uterinis* graviditatibus ſat ſuperque diſtinguuntur. De tumoris conditionibns jam dictum. Incommoda eò majora ſunt , quó partes , ut quoque dictum , ad extenſionem ac divulſionem non conditae , violenter extendi atque divelli pergunt. Porrò uterus in illis graviditatibus , quocunque tempore vacuus ſemper atque imus , peritâ manu deprehenditur ; idemque , ſi partus dolores ſuperveniant

(qui ſané omnino naturales imitantur) neque madet; neque oſculum aperit. Atque haec de vitioſarum extra uterum graviditatum ſignis nunc dicta ſint ſatis.

Externus c ſareus partu interdum ne ceſſarius eſt: i terdum perni cioſius: quan que mortifer

Jamque ad uſum caeſarei partus procedentes: Quamquam in *ventralibus* conceptibus nullum ſanè hâc ſectione praeſtantius auxilium eſt; niſi ipſos tamen internae vires, quas ſub naturae nomine noſcimus, per inſolitos excitatos conatus, & partui ſimiles niſus, hinc ſaepe etiam per inductos tumores, abruptoſque imò abſceſſus, foras é corpore compellere intendant, ut hoc pacto opportunitatem, imò normam & locum ſectionis indicare videantur; ſaepe haec ſectio neceſſaria non eſt, ſaepe etiam & noxia, ipſoque malo remedium pejus: interdum quoque & lethifera evadit. Nam quemadmodum interni conatus illam foetus â maternis viſceribus ſolutionem ſat aptè moliri poſſunt, quae ſané a Chirurgi cultro ſinè multo diſcrimine obtineri non poſſet; ita ſi nulli iſtiuſmodi conatus ſint, cogitandi locus eſt, conceptum, ad corruptionem non vergentem, ita cum illis partibus firmatum nexumque eſſe, ut cum ipſis unum velut corpus conſtituens, neque ideo na-

turae moleſtus aut incommodus, expediri & educi, niſi cum multa eorumdem viſcerum laeſione non queat. Inducti veró, velut in internum partum, niſus, non ſolùm foetum viſceribus non ita immerſum, ſed iiſdem velut exteriorem eſſe oſtendunt, ſuiſque jam â latibulis expeditum: tum verò peculiares, ut plerumque aſſolet, excitati ab iis cruciamentis tumores (undé ex gravibus preſſionibus, aut ipſo jam putreſcente foetu, inflammationes, abſceſſus, diſruptiones ſuccedere, non difficile eſt) foetum jam extrinſecùs protruſum eſſe, ac velut ſubcutaneum evaſiſſe, teſtantur. Tunc igitur ſecare neceſſarium erit: neque ullo quidem momento temporis prorogandum: vel ſi foetus ex aliquo, ubi accreverit, *uterinae* appendicis latibulo in ventrem eruperit, ibidemque nutritionis defectu perierit: vel ſi in ipſam abdominis caveam à primordiis delapſus, ſuos ibidem progreſſus ſortitus ſit; poſtmodum maturus, liberi partus defectu, fato ceſſerit: Ita ſi quidem *ventralis* foetus non adhuc ad maturitatem perventus ſit; & vivens, quò major factus, eò ſaeviores cruciatus inferat, ut ferre ampliùs Mater non queat; aut etiam ad

Quando neceſſarius.

ipſam

ipsam perventus maturitatem, & adhuc vivens, partum exitumque vehementer moliatur: perspectâ diligenter cognitâque ejus sede, ad sectionis operam deveniendum est: Quod si jam mortuus, teterrimâ ac velut veneficâ indole internas ita partes lacessat, ut acutae febres, *lypothimiae*, vigiliae, anxietates, teter oris atque totius corporis halitus, & immanes praecipuè dolores suboriantur: Tunc certè cunctandum non erit: multoque minús, si á putrescente jam foetu haec omnia ingravescant. Neque in hâc rerum positione externus tumor, ejusque suppuratio expectanda sunt; ut per abruptum tumorem foetus jam penitus tabefactus, foras ab internis viribus eiiciatur: namque cunctationem hanc infaustus maternae quoque corruptionis successus subsequetur. Ita Taurinensi Moranae dilatio ista lethalis extitit: Dum feminam hanc servari potuisse in aperto est, si interni partus exertis viribus, mortuoque indé foetu, incoeptâque ejus corruptione, partus caesareus, cui ipse oppidò instabam, intrepidè agebatur. In Vercellensi primae historiae muliere, ut ut ipsâ sectione non tempestivè sed tardiús adhibitâ, rem bené adhuc cessisse non diffitemur: At

 verò

verò quot vicibus mors fores pulſavit! Quanta in tot illius infelicibus diſruptorum foetus membrorum partubus, aerumnarum atq; diſcriminum diuturnitas! Cauſarius languor totâ ſuperſtite vitâ ſuperfuit: Digeſtiones egeſtioneſque alteratae ſunt: Graviſſima *umbilicalis* hernia ſuccrevit; quae in dies invaleſcens, brevi mulierem de medio ſuſtulit. Haec quidem omnia uno momento unoque ictu praecavebantur, atque omninó declinabantur; ſi benè perſpectâ graviditatis conditione, naturaeque viribus atque opportunis conatibus animadverſis, caeſareus partus initio feſtinatus fuiſſet. In illa novem annorum ventrali ſuperiore graviditate, quam tradit Reiſelius (*e*), ſi quo tempore putridum ulcus ſub umbilicum cum foetore maximo diſruptum fuit, foetus illico fuiſſet extractus, qui adeo negligenter non niſi poſt trimeſtrem ſpontaneae, ſeu a natura, caeſarei partus locum indicante, praeſtitae plagae apertionem, omnino corruptus educebatur; longa nimiùm illius & continentium partium putredo, attigua inteſtina non eroſiſſet; neque cibus & potus per menſem & ultra exiiſſent e vulnere; neque tranſiiſſet annus, antequam miſella me-

(e) *Miſcell. Curioſ. Dec. III. Ann. III.*

mediocrem recuperasset valetudinem; & in hac meliús omnia alimentorum genera tolerare, ut prius, valuisset. Ita in aliis pluribus Auctornm casibus, quos, brevitatis amatores, omittimus. Porrò in quacunque caesarea sectione feliciorem ominari eventum quisque poterit, quum perito diligentique tactu comperiat, foetum minùs cum ventris partibus connexum, magisque subcutaneum esse. Manus insuper ad hanc operam, etiam cum audacia quadam, admovenda est; quum foetui in abdomine accreto, ut ut nihil molestiae praestanti, vel nempe si incorruptus satisque involutus permanserit, vel quoque si exsiccatus fuerit, nova naturalisque, seu *uterina* graviditas superveniat: atque haec ita á praecedenti *gestatione* reddatur incommoda; ut vel primis temporibus uterus à *ventrali* foetu, ejusdem fundo accumbente, compressus atque coercitus, extendi debitè non queat: Hinc, ut in hoc casu evenit, cruciatus acerrimi, febres, spirandi angustiae, deliquia, virium prostrationes aliaeque calamitates superveniant. Tunc igitur tentanda res est: cum sinè hoc auxilio certum vitae Matris discrimen immineat. Quòd si succreta graviditas perbellè cedat; neque ulla, aut leviora solúm, succedant

dant *ſymptomata*, neque in primis illi ſuperveniant dolores, qui partuum niſus imitentur: profectò non eſt ſecandum: quamquam probabile eſset, *uterinum* foetum ob externam domicilii ſui preſſionem, ad debitam maturitatem pervenire non poſse: ut contigit in Veneto Santorini foetu; & in Gallico illo Manialii, cui praevia erant duo alia cadavera foetuum, in abdomine adultorum: Namque in primo caeſareus partus impar omnino fuiſset; In altero verò fortaſse pernicioſus: quem nempe naturae conatus ad expulſionem foetuum, debitaeque ideo eorumdem à ventris partibus ſolutiones, non praeceſſiſsent.

Quando perniciosus. Sed certè pernicioſus eſset caeſareus partus, quum foetum in abdomine accretum mortuumque exſiccatumque, aut ſaltem in nullam corruptionem evaſum, neque ideo ullo pacto geſtanti incommodum, neque ideo ab internis viribus commotum ſolutumque, tactu, inſuper Matris motibus aliiſque indiciis, fortiter maternis viſceribus implicatum nexumque eſse deprehenderemus: Ut idem igitur ſiné gravibus divulſionibus atque lacerationibus, extrahi e ſinu Matris non poſset. Ob hanc rationem ego unus firmiter olim obverſabar Anellio Aliiſque

que plurimis, sectionem *Margaritae* Galaratae praestandam esse mordicus propugnantibus: eisque non difficilè illas foetus cum *Peritonaeo*, omento, & nonnullis intestinorum ac *mesenterii* areis connexiones, tactus operâ indicabam; quas indé in publico Anatomico Theatro post annos XV dissecta Mulier ostendit. Statuebam ergo tunc temporis, non esse, tranquillam feminam, foetus molem ita commodè gestantem, &, quod ad praecipua omnia, benè valentem, in multum vitae discrimen, iis immaturè dilaniatis connexibus, coniiciendam: Audendum verò solummodo, vel si foetus putruerit, hinc excitati in ejus solutionem interni conatus, tentando ejus egressui velut primas manus praebuissent; vel si naturalis seu *uterina* graviditas aliquando succrevisset; eamdemque à *ventralis* foetus accubatione pressioneque valdè impediri atque interturbari, in propatulo fieret. Et sané *Margarita* meo consilio à sectionis discrimine, forte etiam ab ipsa nece, diebus illis bonisque certè avibus evasit: suumque incorrupti foetus innocuum pondus seros ad usque annos incolumis sustulisset; nisi aliâ, omnino dispari, calamitate fuisset extincta. In casu cl.

Hon-

Houstoun Angli (*f*) quamquam *ventralis* graviditatis maturo foetui tandem successerit tumor sub umbilico, & inflammatio, & suppuratio, hinc ulcus, & ex ulceris loco officulorum aliarumque foetus partium, imò & maternorum excrementorum exitus; cum tamen intestini caveae, sinuosae praestitae, aliisque partibus corruptus foetus ejusque ossa nimium fuissent coalita, nullo ideo tempore caesarea *dilatatio* propitia esse potuisse videtur. Et in Vercellensi altera superiùs descripta, seu *tubaria* externa graviditate, caesarea operatio perniciosa reapse fuisset, ob tubae gremium intestinis mersum & nexum. Ita igitur lethalis quoque esse poterit caesareus partus, si *ventralis* conceptus principibus abdominis visceribus ita adnatus, immersus atque coalitus sit; ut divulso foetu, profundé ventriculus, aut *duodenum*, aut intima *mesenterii* substantia, aut majora sanguinea vasa rumpantur: Quae certé ruptiones mortiferae sunt. Atque ideo conjiciendum est, tres illas Massariae jam saepiùs memoratas caesareas sectiones, quas aequè lethum excepit, non forsan omnes cum secto ipso utero, sed solúm cum laceratis prin-

Et quando mortiferus.

(f) *Vid. Sagg. delle transaz. filos. della societ Reg. Tom. IV. fol.* 21.

principipibus ventris partibus, fuiſse praeſtitas: Ita quoque de aliis non minús funeſtis, quae in hac hiſtoria memoratae ſunt. Atque iis cautionibus graviditatum non *uterinarum* curationes atque caeſareos partus, ad juſtam methodum aliquando redacta iri confidimus. Nunc ad poſtremam vitioſae generationis, atque ab hucuſque expoſitis omnino diſſitam Claſsem, ſeu ad monſtroſos conceptus eorumq; graviditates, gradum facimus: Quibus hanc partem abſolvere inſtituimus.

De humanis Monſtris, & eorum ſpeciebus.

Viventia, quae inſolitâ alicujus partis, vel plurium, vel totius corporis ratione ſunt, ut ſub nulla deſignata ſpecie reponi videantur, monſtra dici ſolent. Porrò monſtra omnia, quae in hac rerum univerſitate occurrere, hominumq, admirationem facere ſolent, tribus claſſibus complectuntur. Vel enim ex Hominum, vel ex brutorum, vel denique ex plantarum genere ſunt. Quod ad bruta animalia, plantaſque pertinet, Alii diſpiciant. Quae monſtra ex hominum genere naſcuntur, vel unicâ, vel multiplici forma ſunt praedita. *Uniformia*, quaedam trunca ſunt, velut unimani: Quaedam partes habent ſuprâ, quàm neceſſe

cesse est, ut bicipites: Alia partes habent non debito loco dispositas; quomodo ii, quibus brachia collo nectuntur: Nonnulla sexus ancipitis sunt; quemadmodum illi, quos nulla genitalium vestigia distinguunt: Quaedam partes habent supra modum adauctas, vel imminutas: Alia denique partes habent toto genere praeter naturam; ut ii, quorum membrum aliquod lapidescit. Quae veró multiformia sunt, vel partes gerunt ejusdem speciei, non sexus; ut illi quibus virile seu barbatum caput est, caetera verò muliebria: Vel utroque sexu gaudent, Hermaphroditos apellant: Vel denique partes habent omnino specie diversas; quemadmodum illi, qui membrum aliquod caninum, hircinum, aut alterius speciei prae se ferunt. Quae omnes monstrorum species apud Petrum Borellum, Th. Bartholinum, Tulpium, Bontium, Meeckren, Aliosque, & praecipuè apud Licetum videantur.

Et eorum caussis in genere. Causae autem, eheu nimiae! Hominis formam prae caeteris mirabilem divinamque pervertere, & labefactare valent. Ipsam matrem, vividis imaginibus, conceptum monstriferum procreare posse vel Cordatiores consentiunt: cujus causae effectus esse videntur partus illi, qui

qui membrum aliquod diversae speciei animalium referunt. Uteri Angustiam pariter, malam foetus posituram, morbosque, quibus jam est obnoxius; insuper alicujus partis decorticationem, duorum vel plurium eodem tempore conceptum, & his similia, continuò ad monstriferam hominis conformationem conferre, quis dubitet? Enim veró uterus, qui a natura ad foetus continendos ita constructus fuit, ut quâ ratione ipsi augentur, facilé cedat, & extendatur, si interdum rigidior, quàm par est, foetus explicationi non obsequatur, jam apertè concipimus, quomodò tenella adhuc ejusdem membra, dum crescunt, non liberè ad debitam magnitudinem, formamque perveniant; coacta hinc indè, minús magisve extendi juxta majorem minoremve pressionem, & resistentiam.

Quod fortasse in culpa fuit, cur foetus ille noster, oblongo adeo, & portentoso capite excreverit. Mater enim, quae vivit adhuc, bonâque valetudine fruitur, toto graviditatis tempore nullum ventris tumorem, aut prominentiam exhibuit: & nos ipsi ad judicium super hac re ferendum vocati, nullo signo deprehenso, nullam pariter sententiam protulimus.

Et in specie *Fig. XIII.*

limus. Quapropter, cum uterus neq; ad anteriora, neq; ad latera promineret, pronum eſt deducere, ad poſteriora ſe extendiſſe; quamquam id parum, quia ſtatim obices oſſis ſacri offendere debuit. Foetus igitur in Caput jam devolutus, prae uteri anguſtia, & peculiari membrorum poſitu, longaque *uterinae* cervicis forma, eò extendi coactus, quó minús impediebatur; principem corporis partem prolixam nimis, deformemque ſortitus eſt. Si verò foetus dum volvitur, membrum ejus aliquod praepoſterè flexum ſitumque remaneat, ob ceream adhuc flexibilitatem, cuilibet modulo & inflexioni ſuſcipiendae aptiſſimam, quâ parte detortum plicatumque fuerit, inſtar creſcentis arboris obrigeſcet. Hinc prodeunt in lucem non pauci, quibus brachia & tibiae diſtortae curvaeque ſunt.

Monſtrorum cauſſae aliae

Quid, ſi inter partium quarumdam contactum, aut mutuâ perfricatione, vel quoquo modo, fiat decorticatio? Nonne interdum propter communem exulcerationem, digiti, dum ſanantur, niſi cauté aliquid interponatur, ſimul omnes cohaerent? (*g*) Pari ergo ratione, mollia adhuc foetuum membra, poſtquam decorticata fuere, abſumptis deletiſque, quaecumque ſit cauſa, dirimentibus involucris, in abſoluto contactu poſita, ſi-

g) *Celſ. lib. VII. cap. XXXII.*

ſimul agglutinari, ſuccique nutrientis ope concreſcere poſſunt. Atque haec illa cauſa eſt, quâ, prae caeteris, ad Monſtrorum, quibus duplicata ſunt membra, explicationem, perbellè uti poſſumus. Namque vel unum maneat caput cum caeteris duplicatis partibus, vel duplicetur caput aliis non duplicatis, vel duplicentur ſingula, aliaeve, ex miſturis ovorum atque *embryonum*, millenae monſtruoſae conformationes ſint; haec certè omnia a ſimili origine deduci poterunt. Neminem enim latere arbitror, plura eodem conceptu ova interdum foecundari; quae dum in utero nutriuntur & creſcunt, quò plura ſunt numero, majorem ſibi invicem preſſionem inferant, neceſſum eſt. Sed foetus, dum motu proprio, & inordinatis diſtortionibus, praecipuè ſi indole difficiles & impatientes ſint, vel maternis ſuccuſſionibus agitantur perfricanturque, extima quandoque cuticula, admodum tenera & gracilis, atteritur; quâ demtâ, cum nihil inter foetuum cutem, carnemve intercedat, foetus ipſi vel intimè, vel leviter, & ſuperficie tenus, unà cohaerent, & coaleſcunt. Hinc monſtra a Cl. Palfinio diligenter, fusèque deſcripta (*h*) Hinc tot Aliorum, quae ſuis in iconibus collegit

(h) *Deſcription Anatomique* 1708.

git memoratus Fortunius Licetus (*i*) collegit Tulpius, ac colligere tot Alii : & quae ubique innoteſcunt. Quare cum nuper auditum ſit, foetum, ex iſtis memoratis, duplicatorum artuum & capitis, in quadam Alexandrinae Ditionis *Pharmaceutica* Officina, ornamenti cauſsâ, jam dudum ſervatum, nunc inter rariſſima monſtra, vel apud Exteros ipſos recenſeri; admonere eſt, *rara* illa monſtra dicenda non eſſe, quae ſexcentis in locis, & in quibuscunque aetatibus, conſpecta, deſcripta atque depicta ſunt. Porrò ex dictis, Taurinenſis Bicipitis, quem
Fig. XIV. noſtra fert Tabula, explicationem intelligitis, opinor; quam comprobat σκελετὸν, quod adhuc ſupereſt; in quo duplex ſpina conſpicitur. Nec abs re fuerit, partes illas, quae in monſtris hujusmodi deſiderantur, ideo deſtructas aſſerere, quia nimis preſſae & obſtrictae fuerunt.

Et aliae. Morbi verò, quibus hominum genus in dies magis vexatur, foetibus etiam infenſi ſunt; eosque ſaepè numero in primis vitae exordiis interimunt, vel mortiferos reddunt. Quid enim prohibet, circumacti quominùs humores, partem foetus aliquam impetant, laedant, & nimis adaugeant; vel ob vaſorum aliquam con-

(i) *De Monſtris* : *Cum additionibus &c.*

constrictionem, humorumque crassitiem, impedito cursu, non omnes irrigentur partes & nutriantur; undé gracilescant, exsiccentur, & lapidosae etiam evadant? Quod si noscere quis velit, undènam abnormes adeo, & monstruosi foetus nonnulli evadant, cum caudis, proboscide, belluinis unguibus, rostris, alis, asininis auribus, falculis aliisque ferinis partibus; insuper villosi, variè colorati, barbati, pileati &c., & undenam duo illi nostri, quorum unus equino capite, alter verò manibus pedibusque bufoni similibus repraesentatur; in re tam obscura tamque difficili non deerunt, qui mirificos hujusmodi effectus Matris imaginibus adscribant. *Fig. XV.* *Fig. XVI.*

Portenta quaedam explicanda supersunt, quae caussarum omnium, quas mox tradidimus, nullam habere videntur. Quis enim bonus adeo putet, vel Matris ideam, vel uteri pressionem, vel decorticationem, vel duorum eodem tempore conceptum, aut morbum aliquem, sextum E. G. in utraque hominis manu digitum efficere posse? At structura digiti, non minús artificiosa, nec minús difficilis est, quàm caeterae humani corporis partes. Nullum igitur refugium superesse videtur; nisi quis haec, aliaque his similia ab ovo repeten- *Multae monstrorum caussae ab ovo esse videntur.*

da exiſtimet. Ex his ergò cauſſis, quas curſim tetigimus, bicipites, *acephalos*, imperforatos, unimanos, centimanosque, ſi darentur, inſuper gibbos, claudos, aut quoquomodo truncos, deformes & imperfectos deducite: Monſtruoſa quidem omnia, ſi ſumma.

ſtra plu- incerta Multa tamen, & major fortaſſe pars muliebrium monſtroſorum partuum, qui bruta, aliave naturalia corpora ſimilaſſe viſi ſunt, non ſolùm vitioſis muco-ſanguineo-membranaceis *uterinis* concretionibus, atque ejectamentis, ſeu veris matricis polypis, ſed praecipuè molarum imò & retentarum *placentarum* (*l*), inſolitâ fortuitâque figurâ conformatarum, familiae referenda eſt. Ejusmodi igitur eſſe putanda ducimus pleraque, immò ea omnia, quae ſub forma Ranarum, immó Bufonum, Murium, Serpentum, Aquilarum, aut aliarum avium, ovillorum, aut animantia alia imitantium capitum, immò Piſcium, immò variorum ordinum *vegetabilium*, a feminis per uterum non raró eijciuntur. Videantur ſuper hac re ſuis in obſervationibus *Salmuth*, Amatus Luſitanus, Sckenckius, Horſtius, Hoeferus, Foreſtus, Bartholinus, Platerus, Aliique.

At

(l) *Vid. Ruyſch. Obſerv. Anatom. Chirurg. XXVIII.*

At si iis similia per molas polyposque ab utero ejectos explicantur, nemo verò, imperfectissimos quidem & membris praecipuis mutilatos, sed tamen foetus, aut molas aut polypos fuisse dixerit: Quorum unum nonimestrem nos ipsi Bononiae vidimus anno MDCCXX sinè capite, sinè thorace, sinè corde, sinè pulmonibus & majoribus vasis sanguineis: Ita ut summa trunci pars diaphragmate finiretur: Et tamen (quis crederet?) vivens, ut patet, usque ad maturitatem pervenerat. *Alia verò certissima.* *Recens Bononiensis foetus Historia.*

Sed *vesiculosa* ingentia *uterina* corpora, quae naturalis velut graviditatis indicia tulerunt, ejusque tempora prosequuta sunt, hinc partu excreta cernimus, humana quoque monstra, monstrosaeque speciatim molae dicenda sunt: Nostrum horumce partuum exemplum suppetit; & Littrii fermè simile alterum: Praeter alia insuper, per Auctorum Codices dispersa non pauca. Ante aliquot annos confertissima plurium millium hydatidum diversae magnitudinis congeries, quam nobilis Femina ad finem noni graviditatis mensis post laboriosissimum partum enixa denique fuerat, ex Casalensi Montisferrati Urbe nobis perlata est; ut nostrum super insolita hac re haberetur judicium. Haec Mulier, plurium sanorum conceptuum foe- *Molae revera monstrosae.* *Nostraque singularis Historia.*

cunda Mater jam fuerat: Neque in hoc poſtremo conceptu diſſimile, atque in illis, *geſtationis* principium progreſſumque tulerat. Nos monſtroſam eſſe molam ſtatuimus: In qua ſcilicet deleto intus foetu, in innumeros diverſae molis, at verò invicem communicantes ſacculos, *ſecundinae* faceſſiſſent. Et ſanè hi omnes ab inducto flatu ſimul tumebant. In iis porró folliculis flavus atque ſubtilis liquor redundabat; qui igni expoſitus facillimé concretus fuit. Super haec aliquod, *prophylacen* reſpiciens, conſilium addidimus.

Et alia ſimilis Littrii. Littrius monſtroſam, a noſtra vix diſparem graviditatem refert (*m*); magnum ſcilicet racemum veſicularum, inſtar uvae ſpinae, a valdè confertis diverſae longitudinis membraneis ramis pendentium: In quibus veſiculis aqueus quidam liquor erat, nonnihil turbidus: Totaque moles IX libras pendebat. Adnotat Auctor Clariſſimus, hoc monſtrum, feminam aet. XXIX annorum, optimae conſtitutionis, & quinque filiorum jam Matrem, ad medium *geſtationis* decimum menſem peperiſſe. Hic verò hydatidum quoque cumulus fuit, ſuperadditis membraneis productionibus arctiùs annexus. Similem quoque monſtroſam molam in Genevenſi Matrona, XXX annos

(m) *In Hiſtor. Reg. Scient. Acad. Pariſ.*

annos praeter propter agente, memorant Celeberrimi Clericus & Mangetus (*n*).

In naturalibus humanis conceptibus monstruosa evulgata plurima, fabulosa esse videntur: Aliqua tamen certa sunt.

An verò tot prodigiosi, saeculis pené omnibus celebrati, quarumdam feminarum numerosi conceptus, nostrae huic de monstris humanis narrationi adnecti debeant, non satis scio. At non dubito, quamplures ex iis, qui passim leguntur narranturque, multorum foetuum partus, nimiae aliquorum credulitati potiùs, quàm historiarum veritati esse adscribendos. Quapropter, neque centenos foetus a Celebri Hollandiae Comitissa uno partu editos; neque incredibilem primarum Gallicae *Porcelletiae* Familiae Parentum foecunditatem; neque alia hujusmodi, Tonsoribus, Lippisque notissima recensebo. Lubenter hîc tamen memorare statui miram illam foecunditatem Wurtembergicae Feminae; quae circa finem saeculi XV Mater liberorum LIII, per XXXIII partus, ex uno conjugio fuit; hoc quidem ordine, ut XVIII partubus unicum semper infantem ederet: dein V partubus semper duos: IV postea continuò tres: In sequentia, conceptuum numerum ingeminans, sex simul filios gestaret: Quorum tres quarto mense per eundem conatum protulit; Nonâ hu-

Mira, atque ideò velut mōstrosa, cujusdam Mulieris fertilitas.

(n) *Bibl. Anat. Tom.* 1. *in notis ad Tract. Graafii de mulier. organ.*

jusce puerperii die , quartum ; posthinc hebdomadâ undecimâ , quintum ; atque iterum elapsis septem hebdomadis , sextum enixa est : Demum septem simul infantibus gravida , hebdomadâ *gestationis* vigesimâ , tres ; ab hinc hebdomadis tribus & dimidia,quatuor reliquos,in suorum partuum coronidem , edidit . Admirabile est , in hac muliere aetatis & ovorum maturitatem , velut eandem accrementi rationem habuisse . Caeterùm masculi XXXVIII fuere ; feminae XV Omnes Ecclesiae lavacro excepti ; praeter octo praematurè demortuos . Horum quilibet vix novendialis fuit . Porró haec historia , testimoniis certissimis publicisque monumentis firmata , atque ab Helvvigio , Welschio , Eysenmengero , Schroeckio , Aliisque , hominum memoriae mandata , valde id illustrat , quod de genitalibus muliebrium *ovariorum* vesiculis , seu genuinis ovis , eorumque stato numero , superiùs a nobis fol. 70. prolata sunt . Quamobrem cum parum ultra quinquagesimum numerum extendi muliebrium ovorum copia in utrisque simul sumptis *ovariis* perpetuó videatur ; tanti in una hac femina conceptus , ad supremum eorum calculum advenisse , aut plurimùm saltem accessisse , dicendi sunt . Quatuor

porrò

porrò, aut ſex unicâ graviditate geſtari foetus, quemadmodum ex hac hiſtoria, & alibi quoque, ab eodem Helvvigio, Schroeckio Aliisque elicimus, perrarum valde eſt; ut nullum certè mihi recens exemplum ſuppetat. Frequentiùs veró tres, quinque, aut etiam ſeptem, eidem *geſtationi* ſe comites addere audivimus. Sic noſtrâ hâc aetate, noſtrâque in hac Urbe, tres eodem partu, ſemel iterumque, ſunt editi: In quibusdam Pedemontanis Regionibus interdum quinque: & in Inſubriae Pago non diu ab hinc, ſeptem ſimul in lucem prodiere. Namque non ita pridem teſtatus eſt mihi R. P. David, Clericus Regularis Theatinus piiſſimus, noſtrique Academici Sacelli Praefectus; ante hos annos XIV progredientem ſe Mediolano Robeccum, ad navigabilem Canalem habuiſſe obviam Mulierem, ſibi jam famâ notam, quae uno partu ſeptem filios, maſculos feminasque, vivos & vitales omnes, citò quidem, at non ſinè magnis cruciatibus, pepererat; tum veró ex iis primum aut alterum, maſculumque, obviae ipſius Matris vidiſſe comitem; cujus tùm aetas XI aut XII annorum eſſe potuiſſet. Notabile igitur eſt, ſi geminos excipias, impari ſaepiùs, quàm pari numero, infantes

Recens Mediolanenſis Feminae, ſeptem ſimul ſilios geſtantis atque parientis, Hiſtoria.

fantes oriri. Qua de re ſi quis me rogaret; haud aliter reſponderem, ac ſi quis peteret, undé criſes, in acutis praeſertim infirmitatibus, ſeptimâ potiùs quàm ſextâ, vel nonâ crebriùs quàm octavâ die, produci ſoleant.

[M]orboſa Gene[ra]tio, utrique ſe[x]ui communis. Atqui hîc nobis, dum tot tantisque vitioſorum muliebrium conceptuum claſſibus, atque calamitatibus finem imponimus; nimis certé infauſtam, ſuper virilem, ſequioris ſexus conditionem dolere incumberet: Hunc enim, non ſatis eſſe videri poſſet, moleſtis iis ac pernicioſis graviditatibus partubusque condemnari, quorum partem eleganter canit lectiſſimus antehac Auditor noſter Abundjus a Porta Novocomenſis:

Velut arbor praecoce fructu,
Intempeſtivo ſolvunt ſe viſcera foetu.
Nec ſum animi dubius, foetus quin plurima circum
Stent mala, quae pueris utero creſcentib; obſtent:
Cura ingens animi, fractique laboribus artus,
Iraeque, ſubitique metus, quaeque horrida viſu
Spectra, & praecipites alto de vertice lapſus
Surgentem excutiunt ſobolem &c.
Tunc dura impendent miſero diſcrimina partu(o)

ut turpes quoque partus ſeu monſtruoſos pati debuiſſet:

Et

(o) *In erudito* Antropogoniae *Carmine, edit. ad ann. MDCCXXXVIII. pag. XX.*

Et quoties utero rudis, & sinè imagine moles
Funditur, & turpi dolet aegra puerpera monstro(p)
An primae Mulieris culpae adaucta haec poena est, ut praeter naturalis generationis consueta, graviora adhuc vitiosae qualiacunque discrimina sufferret? An Vir, eâdem culpâ non vacuus, ab hoc poenae genere omnino eximendus erat? Sed neque hic tamen eximitur. Quippe cum in generationis re, utrique sexui ita commune aliquid praestitutum sit; ut alter, quamquam naturalis vitiosaeq; generationis molestiis solutus aerumnisque, cum altero tamen morbosam generationem participans, saeviora ejus incommoda effugere non queat. Morbosa enim generatio, quó magis a natura distat, eò perniciosior esse potest.

(p) *Idem ibidem*.



PARS

MORBOSA GENERATIO

Omnes humani Vermes, morbosi non sunt: sed aliqui naturales sunt.

QUamquam Morbosa humana Generatio illa est, in qua ova, quae foecundantur & germina, nec naturali in loco sunt posita, nec naturali foecundante principio ad propriam vitam excitantur, nec naturali sede suos incubatus ineunt, ut morbi idcirco contingere soleant; hujusque genesis esse vermes omnes, in humani corporis partibus geniti viventesque videri possint; neque hos sine hospitantis hominis incommodis degere, plerique judicent: Non omnium tamen vermium, qui in humano corpore inveniuntur, Generatio morbosa dicenda est: Siquidem nonnulli vermes, in humano corpore hominibus coaevi, ita semper *intestinalis* tubi latebras, tanquam naturalem sedem quietè incolunt, ut per se se, & naturâ suâ detrimentum nunquam sint allaturi. Hujusmodi sunt vermes illi, qui vulgó *Teretes* intestinorum nuncupantur. Haec animalia nobis potiùs utilia, quàm nocua esse, non Multi inficias iverint: Namque humores, quibus enutriuntur, si nullis pravis qualitatibus infecti sint, placidè illa in sedibus suis inhabitant, vivunt, mo-

Lumbrici Hominis, Teretes dicti.

moventur & propagantur. At inordinatè tantúm & perniciosè moveri incipiunt hi vermes, quotiescumque malis alibilibus succis, suaeque naturae contrariis infestantur. Tunc enim, hinc indè se se moventes, & convolventes, a suis mansionibus, solito brutorum omnium naturali instinctu, exire, & meliores quaerere conantur: Hisce in turbis intestina irritant, nonnihil flagellant; & interdum usque ad ventriculum reptantes, ascendunt, & continuis motionibus ac contorsionibus velut stimulo, molestias iis partibus & saepè conatus excitant: Ut interdum vivi adhuc, per vomitum ejiciantur: Vel contrariam viam insistentes, ad inferius orificium cibarii canalis descendant, ibique aut progredientes, proprio & canalis nisu sibi exitum comparent: aut per sibi inditas acutas aut minús acutas aegrotationes, moriantur: & deindè mortui & faecibus convoluti, saepissimè prodeant. Quapropter plerique statim his, tanquam verae & propriae caussae, morbosos effectus adscribunt, qui revera ab aliis & praeviis, morbosis caussis producti fuerant: Cum vermes, vel tunc aegrotare coeperint, ac nos morbo correpti fuimus: Vel potiùs ex nostro praevio morbo, morbosi & ipsi facti sint. Et quia ab esu dulcium, ut expe-

rimentis

rimentis constat (*q*) vermes necantur aut laeduntur; potiùs quám generentur, aut foveantur. Hinc pueri, quibus plerumque dulcia in deliciis sunt, a vermibus dulci succo laesis excruciantur (*r*). Alii quoque sunt hominis vermes, *pineales* ab exilitate & figura dicti: Quos ipsi non raró vidimus: & vermes fortasse naturales etiam dicēdi sunt; cum revera aut spontè proditi, aut simul cum faecibus dejecti, nullum unquā, quod sciam, incommodum attulerint. Hujusmodi vermes, an & ipsi ex Teretum familia sunt? Nobis, historico tantum more Provinciam hanc pertractantibus, pleraque ex his praecipuè quae obscura sunt, neque affirmare, neque refellere in animo est; tum maximé cum rerum origines & caussae inquiruntur. Attamen utcumque se res habeat, profectò inter teretes, seu communes vermes, patres, avos, atavos & filios etiam cum nepotibus reperiri quid vetat? Quemadmodum enim inter ejusdem determinatae speciei pisces, aliqui inveniuntur mirae magnitudinis; alii verò minimi: Ita etiam horumce vermium ali-

Pineales vermes.

qui

(q) *Redi, degli anim. vivent. dentro gli anim. vivent. & Vallisn. in fin. Epist. ad Lancis. Aliique.*

(r) *Haec fusiùs illustrabuntur peculiari oper. de naturalibus hum. vermibus.*

qui, licèt sint admirandae longitudinis, ut ille teres, ulnam cum quadrante longus, ex Bartholino (*s*); & quem Daniel Ludovici (*t*) tres ulnas nostrates longum ac semivivum excretum vidit, & qui a Baglivo 30. pedes longus traditur (*u*); & quos Amicus noster, Ornatiss. Moreni, Medicus Aulicus, brachio productiores conspexit: Vel admodum breves sint, ut illi quos supra *pineales* appellavimus, quique ab aliquibus tenelli Teretum filii censentur, ejusdem nihilominus speciei dici possunt. *Humani Ascarides.*

Ascarides hominum, minimi *intestinales* sunt vermes. Hi, solâ ad anum inductâ interdum prurigine, molesti esse possunt: Neque ideo morbosi, sed potiús naturales, & in infantibus utiles dicendi. Horum figura appositè a Redio data est (*x*) perperam autem a Contulo (*y*), qui eos anguillarum muraenarumque familiae esse putat. Ascarides vocati sunt; quoniam intestinorum in fecibus semper inhabitant; sumpto hinc nomine ab iis vermibus, qui in putrida

(s) *In Cent. 2. Hist. 23.*
(t) *Ephem. Cur. Germ. ann. III. n. 254.*
(u) *In Epist. ad Andrium.*
(x) *Osservaz. int. a gli anim. viv. dentro gli anim. viv.* [redacted] *Tab.* X[redacted].
(y) *Degli Ascaridi. Roma 1701.*

putrida aqua degentes, aſcarides propriè dicuntur. Ex humanis vermibus nulli caſearios vermes, figurâ, magnitudine, colore, motibusque magis aſſimilant. Non pueris tantùm, ſed adultis, & interdum ſenibus familiares ſunt: In quibus ſucco, alvinis ſordibus ſuperſtite, nutriuntur; idcirco ad infernas alimentarii canalis ſedes, ſeu ad craſſa poſtrema inteſtina, maximèque ad rectum ejusque finem, perpetuam moram trahunt: Ubi & eorum ortus eſt, & vita, & ſenſiles motus, praecipuè ad interiora podicis: Nec niſi cum fecibus, praeterquam aut nimiâ copiâ palantes aut ſummè famelici ſint, foras e corpore egrediuntur. Singularis caſus, quem olim in *Hepatica* noſtra *Hiſtoria*, vel in prima editione, retulimus (z) horumce vermiculorum domicilium, nutritionem & indolem illuſtrare videtur; firmatque in primis, hos vermes non ſolis in pueris reperiri, ut Plures arbitrati ſunt. Referebam enim „ Amicum quem-„ dam meum (qui tunc triginta, & amplùs, annos agebat, & vitam iis adhuc „ diebus agit) jam diu Aſcaridum hoſpi-„ tem, periodicam ſolùm ab iiſdem mo-„ leſtiam pati. Horâ nempe a meridie „ veſpertinâ nonâ, ad ejus internum podi-cem

Singularis humanorum Aſcaridum Hiſtoria.

(z) *Part. II. Cap. VII.*

„ cem velut tumultuosa horum animan-
„ tium collecta agmina, tantam ibidem
„ molestamque titillationem, solidâ ho-
„ râ, nempe ad usque decimam, exci-
„ tare, ut illo temporis spatio nullis ser-
„ mè negotiis vacare Vir posset: Horis
„ aliis omnibus, tanquam si omnino de-
„ essent, plané quiescere. Idque constan-
„ ter omnibus anni temporibus contin-
„ gere „ Hoc a temporario versùs rectum intestinum faecum descensu fuisse factum, planè constat. Nunc addo, Virum istum, immisso intus balano, acriorem interdũ molestiam attemperare consuevisse: Quo nempé innumeros implicatos vermiculos extrahebat. Sed iste jam senex, modò vix, itemque rarissimè, hos hospites persentit. Nec certè in hominibus naturalium vermium species, quae suapte natura perpetuae sunt, unquam deficerent; nisi quae ad incubatum eorundem vermium ac nutritionem inserviunt, per mutatam aetatem, aliquando in illis cessarent. Species illa vermium, quam plerumque in Felibus, tum domesticis tum silvestribus, insuper in Canibus, in Lupis ipsisque Hominibus reperiri, Redius commemorat (*), qui videlicet albi sunt; non rotundi, sed plani; in sectiones discreti; atque ita *Taeniola brutorum & hominis.*

R sibi

(*) *Cit. Oper. pag.* 115. *Tab. XVII.*

ſibi ipſis contrahendis producendisque faciles & liberi, ut qui ad quatuor aut ſex transverſos digitos breves appareant, ad binos aliquando palmos extendantur; ſingulari Taeniarum claſſi referenda eſſe videtur. Andrii exiles, ericei *coniciique* vermes (**) nobis hactenus inviſi ſunt.

Taenia, ſive latus vermis, inter naturales humanos vermes, at monſtruoſos, recenſeri poſſet.

Quid verò, ſi Taeniam ipſam, neque morboſum vermem eſſe, forſan dici queat; utpotè quae propriam & determinatam ſpeciem huc uſque nondum ſervaſſe inventa ſit? An fortaſſe ex teretum genere deſcendit; eorumque monſtruoſa propago eſt? Nonnullis quidem probatur, diutiſſimé taeniarum ſemina in viſceribus ſervari, & de generatione in generationem tranſmitti; donec ex iis animantia per quorundam ſuccorum motus, vel aliis de cauſſis excludantur, non aliter ac ova Mulierum, quae licèt matura, multis adhuc annis, quoad Mulier nubat, ſervantur, & nonniſi accedēte maſculae geniturae motu, foetus, & homines fiunt. At quî fiat ut tam rarò taeniae, ſeu in paucis admodum hominibus inveniantur? Inſuper ſi a proprio determinatoque ſemine oriuntur, ergò determinatam quoque ſpeciem & formam ſervabunt: Quod tamen contra evenire, non infrequentes obſervationes nos edo-

(**) *In Tab. XV. nov. edit. cit. Op.*

edocent. Nam taeniarum aliae, caput instar acus piscis habent (*a*) quaedam mucronatum (*b*) quaedam rostratum, avium more (*c*) nonnullae cornutum perhibent (*d*) aut instar lunae crescentis (*e*), aut sinuosum & instar forcipis (*f*), aut verrucosum (*g*), aut bifidum (*h*) Quibusdam oculi, iidemque sat lati apparent (*i*) aliquibus nulli omninò (*l*), quibusdam apertum os videtur (*m*), aliquibus clausum, imò nullum (*n*), nonnullis caput non conspicitur: (*o*) Imò eidem observatori Viro taeniae, dissimilium capitum apparuere, ut Tulpio (*p*) nobisque (*q*) Quaedam apud Auctores plurimos, ejusdem sunt ab uno ad aliud extremum latitudinis: Aliae in caput caudamque acutam, seu strictiorem desinunt: Aut è converso latioris sunt caudae (*r*) Quaedam,

Taeniarum earumque partium differentiae.

(c) *Vid. Fig. I.*

(i) *Fig. II.*

(m) *Fig. I.*

(q) *Fig. I. & II.*

(r) *Fig. IV.*

R 2 genicula

(a) *Gabucinus Comment. de lumbr. Cap. XIII.*
(b) *Forestus de vermib.*
(d) *Vid. Tulpii observat. edition. prior.*
(e) *Gallic. Litter. Ephemerid. ann.* 1680.
(f) *Cleric. Op. cit. Cap. IX., & Tab. VIII.*
(g) *Febrius Analect. de Absinth. p.* 125.
(h) *Rhodius Obs. Med. Cent.* 1.
(l) *Rondeletius de dignos. morb. Cap. XVII.*
(n) *Tulpius ibidem.*
(o) *Vid.* 1. *Icon. Sennert. Pr. lib.* 3. *Par.* 2.
(p) *Vid. edit.* 1652. 1672. & 1685. & *poster.*

genicula praebent ſimplicia, aequali inter ſe ſpatio diſpoſita (*ſ*) quaedam irregularia (*t*) Aliae genicula quidem, ſed ſerrae adinſtar, denticulata (*u*) aliae verò nulla omninò genicula, nullas maculas, nodos nullos referunt (*x*) Aliae demúm a Scriptoribus villoſae deſcribuntur, aliae glabrae. (*) Ideſt in taeniis variis, tam variae longitudines, tam varii partium geniculorumque ordines, numeri, figurae, magnitudines, aſperitates, levitates, colores, firmitates, motus ipſi ſunt; Imò diverſae velut naturae atque indoles (cum aliqua horumce animalium, hoſpitanti homini incommoda atque nocentia ſint; placidiora alia ac velut inſontia) Inſuper tam diverſae in earum partium disjunctionibus rationes; cum quibusdam longiora caudarum fruſta facilè ſeparentur; quibus indè ex hominis corpore eliminatis, caudae aliae adnaſcuntur: Quibusdam breviora dirimantur: Aliis verò nulla, ſeu ſemper viventia hujusmodi, indiviſa in hominis aut brutorum inteſtinis reſtiterint: Ut ideò mirandum non ſit, ſi tanta inter Recentes taeniae vermis Deſcriptores, Bryllum, Dunū, Platerum, Valleriolam, Spigelium, Foreſtū, Amatum, Rondeletium, Adrovandum, Geſnerum

(*ſ*) *Fig. I.*
(*t*) *Fig. III.*
(*u*) *Fig. VI.*
(*x*) *Fig. V.*

Super iis animantibus Auctorum lis.

(*) *Vid. quoque diſpares Icones Andrii cit. Op.*

Gesnerum, Gulielmum Fabritium, Benivenium, *Monardes*, Gabucinum, Sennertum, Oethaeum, Rhodium, Saracenum, Mercurialem, Widemannum, Jungum, Quenzium, Lindenium, Tulpium; Fehrium, Velschium, Borrichium, Michaelem, Malpighium, Panthotum, Tysonem, Schmidium, Meisnerum, Andrium, Vallisnerium, Clericum, Aliosque, & quoque inter Veteres, Taddaeum & Nicolaum Florentinos, Petrum de Apono, Arnoldum a Villanova, Savonarolam, magisque Veteres, Maesuem, Trallianum, Aëtium, Aeginetam, Lycium, Marcellum, Aristotelem & Reliquos, ob tam diversas horumce brutorum formas, discrepantia esse, imò confusio videatur. Cautiùs enim duco, honestis iis omnibus & aequaliter diligentibus Viris, qui ita, ut describunt, vidisse asserunt, fidem adhibere; quàm iis solùm, qui se unos rectè & perspicuè vidisse praesumunt; caeterosque pro rerum fictarum venditoribus habent. Si igitur in iis vermibus determinata nulla forma, nullaque species est, & tamen in hominibus inveniuntur; cum ex omni animalium specie, monstra quaedam interdum prodire observemus; Teretium hi fortasse, qui lati dicuntur vermes, monstra esse potuerunt. Siquidem

Monstruosi, Teretes humani vermes.

dem a teretibus ſeu communibus humanis vermibus, monſtra quaedam produci certiſſimum eſt: Bicipites enim, cornuti, galeati,dentati,ſquammoſi,villoſi, rubicūdi, virides, atri &c. ex eorum propagine certò certiùs deſcendunt.Quidni igitur,&Taenias horum monſtra eſſe aliquis affirmet? Et re quidem verâ nonniſi hâc ratione monſtra quaedam explicari poſſe videntur; quae licèt legentibus, fidem omnem excedere appareant, ab hominibus tamen fide dignis, & viſa & deſcripta ſunt. Eruca enim *Bombyci-formis*, quam ornatiſs. p. r. Gallina, quondam noſter Diſcipulus, & probitate jam notus, fideque dignus Vir, nobis per epiſtolam, quam huic Operi (*y*) annecti placet, fidiſſimè deſcripſit, niſi Bombycum monſtruoſa propago eſſe dicatur, quid aliud eſſe ſuſpicabimus? Ejus namque indoles id manifeſtè oſtendit; cum cibis diverſis, ut idem Gallina tradit, appoſitis, ſolis tamen lactucae foliis, eidem fortuitò porrectis, avidè veſceretur: Ut ſanè lubenter Bombyces hoc olere veſcuntur. Fidem etiam huic rei facilè habebit; qui animadvertat in citata epiſtola, vermen hunc, ſeu potiùs vermium monſtrum, per vomitum ejectum fuiſſe ab adoleſcente, qui ſericae arti operam dabat. Ut ut

Fig. XIII.

ſe

(y) *Vide Epiſtolam in fine Operis.*

se res habeat, cum de morbosis tantúm vermibus sermonem instituere hîc proposuerimus; quaecumque tandem sit taeniae origo, ob incommoda, quae saepè aut prae nimia longitudine, aut suis motionibus & distortionibus, aut propter substantiam *chylosam*, quam, dum depascitur, hospiti demit, aut quâcumque aliâ ratione producit, dum *intestinalem* tubum accolit, nauseas videlicet, languores, & interdum velut animi defectiones, vomitus, diarrhoeas aut crebros saltem desidendi stimulos, dolorem *epigastrii*, quandoque capitis, cum quadam aurium bombilatione, in ventre ponderis sensum, non rarò & tormina, praesertim velut per *paroxismos* iterata; & murmura ulteriùs, & flatus; & sitim, famem, pallorem, tristitiam, maciem; aliquando febriculas & consumptiones; ob haec, inquam, non insolita incommoda, unà cum cucurbitinis (de quibus quoque sigillatim sermo instituendus), inter morbosas generationes, seu inter vermes, qui propriè morbosi in hominibus sunt, eam recensere statuimus.

Morbosi hominum vermes alii *intestinalem* tubum incolunt: Alii veró extra *intestinalem* tubum inveniuntur. Ex illis, qui hunc tubum incolunt, quidam ingeniti, na-

Taenia intestinorum vera, Veteribus quoque nota, in species varias manifestè di-

stinguitur: Cujus inferiores sejunctae atq; excretae partes. ad instar aliorum quorumdã animalium, renascuntur.

naturalium seu teretium formae ac naturae accedunt, eorumque sic dixerim, affines, aut, ut tradidimus, monstrosae saltem progenies, esse videntur: Aliqui verò adventitii, a teretibus omninò recedunt, & exterorum potiùs insectorum formam imitantur. *Intestinales* morbosos cujuslibet conditionis vermes primò persequemur: Et deindè pauca etiam de iis, qui non *intestinales* sunt, exponemus. Igitur inter *intestinales* ingenitos morbosos vermes, enumerantur Taeniae primi secundique generis; aut potiùs taeniae propriè dictae; & insuper cucurbitini vermes: Qui reapsè interdum simul longo ordine nectuntur; & uniti, zonam, taeniae simillimam, componunt. Taenias primi generis, seu taenias propriè dictas, licèt reverà difficile sit decernere, an propriam & peculiarem speciem habeant; vel potiùs a communibus vermibus progignantur, ut superiùs annuimus; certum tamen indubitatumque est, antiquis etiam temporibus cognitas fuisse. Hippocrates ipse, totius Medicinae parens & princeps, scribit (z): *Latum Lumbricum in Puero, dum adhuc in utero est, ut alii quicumque Lumbrici, nasci: & augescente Puero, & ipsum augescere, donec intestini longitudini aequalis fiat; & post-*

(z) *Lib. IV. de Morbis.*

postmodum etiam augeri pergere, quousque aut integer, aut frustatim expellatur; & tandem semel abruptum, nulla praesentiae suae signa per multum tempus dare: Sed transacto eo quantocumque tempore iterum augescere. Ex quibus manifestè nitidèque cognoscitur, Divino Seni adeò cognitam perspicuamque fuisse taeniarum naturam, ut qui post eum deindè, animal hoc descripserunt, novi ferè nihil dixisse videantur. Galenus enim haec solúm habuit (a): *Rarior autem est Lumbrici lati generatio, qui & longissimus est, & saepè per tota extenditur intestina*. At veró quod ad taeniarum varietatem attinet, licèt Clericus post Gabucinum, Tysonem, Andrium, Vallisnerium, totque Alios, hanc rem fusè tractaverit; non tamen huc usque penitùs rem aperuisse videtur. Quid enim in tanta horumce insectorum varietate satis determinari potest? & primò si caput spectes, illud Varii varioque modo describunt, ut superiús attigimus. Nos autem taenias aliquas habuimus, & adhuc *vini spiritu* servatas apud nos retinemus, quarum caput ab aliis omnibus jam descriptis toto Coelo differt. Et quidem inter alias, una praesertim, quae mirae longitudinis

(a) *In Aphor. Hipp. XXVI. sect. III.*

Fig. I. gitudinis eſt, Caput adeó clarum & conſpicuum praeſefert, ut ſuperiorem & inferiorem veluti roſtri partem exhibeat: Neque tamen ullâ ratione ad piſcis aci formam accedere videtur: ſed potiùs ſimile eſt roſtro piſcium, qui inferiorem mandibulam plerumque breviorem habent. Oculus nullus apparet; & roſtri apices, paulò ſupra reliquam corporis ſubſtantiam duriuſculi, nonnihil ad ſubfuſcum colorē vergentes. Caeterùm taenia alba eſt, geniculata; ejusque ſquamae per continuam totius corporis longitudinem ita ſe ſe excipiunt, ut lacerti vel anguis, quâ parte ventrem obtegit, ſpolium imitentur; vel annulos aſperam arteriam componentes. Singuli noduli parvis maculis diſtincti ſunt; quae aliquantisper eminent. Longitudo hujus vermis tanta eſt, ut inteſtinorum longitudinem, ſi integer ſit, facilè aequare poſſit, Nihil omninò rotunditatis oſtendit, neque ullo modo teres eſt, ſed gracilis adeò & ſubtilis, ut zonam repraeſentet. Latitudo, parvi unguis medietatem non excedit. Sed advertendum, a naturali ſtatu nonnihil, ob liquoris quo ſervatur vim, receſſiſſe. Per totam extenſionem eadem ſemper latitudo eſt; donec ad caudam ſit ſtrictior, & in conum faceſſat. Inſuper genicula, quae propè cau-

dam

dam sunt, eamque *successivè* componunt & finiunt, si cum aliis comparentur, longiora. In hoc igitur ab ea, quam Clarissimus Tulpius eleganter describit, praecipué differre videtur; quòd in nostra neque oculus appareat, neque rostrum, avis in morem sit: Insuper hujus genicula contrariâ omninò ratione disposita sunt, quàm a Tulpio exponuntur. Nam se se excipiunt a capite incipiendo, ut primum excipiat alterum, hoc verò tertium, & sic deinceps: quod Tulpius a cauda incipiens describit. Profectò si quid ex his observationibus concludere velimus, repetendum est, portentosa haec animalia, non omnia eâdem structurâ esse praedita: Quum praecipuè ex his aliqua certissimè perspiciuntur, quae neque squamata sunt, neque nodosa. Taeniae namque partem cum aliis servamus, quae aequalis undique latitudinis est, gracilis, albicans; nullisque omnino geniculis nec maculis interstinguitur; sed artificialem, aut lineam aut sericam taeniam assimilat: Aliam insuper, cujus noduli, distinctissimis, instar *muscularium*, per longitudinem directis fibris simul nectuntur. Borrichius autem (*b*) describit latum Lumbricum, *cujus frusta*, 24. *pedes longa*, *exclusa*

Fig. II.

Fig. V.

Fig. IV.

(b) *In Actis Med. Hafn.*

clusa a juvene, disjunctim vivebant, & quorum incisurae creberrimae non lineam rectam Fig. VI. *constituebant, sed crenis innumeris findebantur*. Quod taeniae genus nobis quoque ostensum aliquando fuit. Gallina noster suâ Epistolâ (c) Taeniam describit, quam, nobis ab eodem transmissam, servamus. Haec verò taenia neque capite, neque Fig. III. geniculis, neq; horum ordine, neq; maculis, cum antea descriptis convenit. Actum agere videremur, si taeniarum proprietates communiores hîc rescribere in animo esset. Hippocrates enim ipse citato loco, longitudinem intestinali tubo aequalem commemorat, quam saepè tamen & valdè majorem obtinent. Et reverà, longâ adeò caudâ instruuntur haec animalia; ut de Nonnullorum sententia, replicato gyro, bis intestinorum longitudinem adaequent. Et quamvis fortè exscindatur cauda, & in frusta é corpore humano exeat; nihìlominús, ut Hippocrates etiam observavit, denuò *pullulat & crescit*, non secús ac in lacertis, quibus amputata cauda (d) rursus *producitur & fit*. Nam, ut alias multas taeniarum excretiones, quas vidi, silentio praeteream, hîc tres tantummodò

(c) *Vid. in fin. Operis*.

(d) *Plin. lib. IX Cap. XXIX. quod & quotidiana experientia docet*.

dò & breviter quidem referam: Ex quibus tamen manifestè deduci videatur, hujusmodi vermes caudam non tantúm, sed magnam corporis inferiorem partem amittere; quae tamen denuò producitur. Blasius Sonettus *De Villare Almesio*, annos natus 44 taeniarum affectione divexabatur: Quae adeò pertinax fuerat; ut ab anno 1721. usque ad 1726. nullâ *anthelminticorum* remediorum vi curari potuerit; quamquam alicui ex iis, neque fortasse strenuiori, aliquandiu cedere videretur. Cum veró cunctae istiusmodi historiae partes, alicujus momenti fuerint, eam ergò referamus. Anno illo, quo me Blasius, Taurinum adveniens, consulebat, a sex propé annis verminosam hanc in intestinis colluviem gestabat. Hoc enim decursu temporis excreverat viginti circiter taenias, aut longa saltem earum fragmina: Quorum fortè decem, ulnae unius cum dimidia extensionem aequaverant; reliqua unâ ulnâ breviora non fuerant: Ex iis novem aut decem viva, caetera mortua rejecta sunt. Viva, gradato aequalique ab uno ad aliud extremum, ut teretes vermes, motu velut *peristaltico*, seu propriè, ut ajunt, *vermiculari* agebantur. Porrò nunc una solúm, nunc bina simul prodibant. Intervalla excretionum neque die-

Nostrae Taeniarum primi generis, nunc nocentiū, nunc insontium, modò singularium, modò cum cucurbitinis & teretibus vermibus; & plurium earum dejectarum partium, & dejectionis temporum, Historiae.

rum

rum quindecim minora erant:neq; quatuor mensibus majora. Post aliquod a nobis impetratum nunc exTralliani pillulis,nunc ex Aetiope minerali,Mirrha & Diagridio praesidium,ad finem an. 1727, a novem mensibus taenias non ampliús excernebat, sed solúm teretes vermes. Ii taeniarum ejectionib; saepiús se comites addiderant: Neque soli: Nam cucurbitini quoque vermes, uná cum taeniis, trium annorum decursu plus 200. excreti sunt, nunc simul quinque, nunc septem, decem, aut plures; Interdum etiam sinè taeniis solitarii egrediebantur: Qui tamen nunquam in catenas adnexi visi sunt. Nulla unquam hi nec nostrae, nec Blasii curiositati cornicula praebuere; sed uno latere plani; duobus aliis velut in unū apicem extenuabantur; ut ideó acuminata pars planae parti esset opposita; & eorum corpus velut pyramidatum videretur. Unum nos ex aliquibus, ab homine secum allatis & exhibitis, hujusmodi *Fig. VII.* vermiculis delineari, hinc æri incidi curavimus: Qui cum diu mortuus, contractus, atque exsiccatus esset, in apicem *s.* strictiorem, quàm, Blasio ipso teste, recens habuisset, revera facesserat: Basim verò *r.* non mutaverat: In qua solitam fissuram non inquisivimus; nec fortè inquirendi locus erat; Cum ob indu-

ctam

ctam ariditatem & contractionem, vel diligenter inquirentes, ſatis videre non potuiſſemus. Aſſerebat Villicus noſter, egreſſos é corpore cucurbitinos, vividos motus habuiſſe, non verae tamen progreſſionis; ſed aliquod latus primúm excutientes, hinc adversùs ipſum, velut corpus trahentes, arcuantesque. Taeniarum quoque fruſta aliquot ad nos attulit: Quorum aliqua exquiſité nodoſa erant: Et nodi nonniſi violentâ diſruptione disjungi poterant; eóque magis quód, quamquam nonnihil exſiccata jam erant, validas adhuc parallelas fibras oſtendebant, geniculis omnibus obductas, eaque firmiter organicoque nexu tranſverſim obligantes atque continuantes; non ſecús ac in IV figura videre eſt: Ut ideó unum omnia atque continuum corpus eſſe, ſeu veras primique generis taenias, non fortuitos cucurbitinorum nexus, manifeſtó conſtaret: Ad quam quidem magis firmandam rem, internam horumce fragmentorum fabricam lubenter fuiſſem ſpeculatus; niſi aridula, ut diximus, occurriſſent. Aliqua veró ejuſcemodi fragmentorum, & praecipuè unum, ulnae ſemiſſim aequans, non nodoſa erant, ſeu in geniculis non diſcreta; ſed polita ac levia, & ubique aequalia; ſeu uniformem artificialem taeniam

prorſus

Fig. V.

prorſus imitantia: Quae quidem nodoſis fruſtis albidiora erant. Exiguam hîc horum partem exhibemus. Cum taeniis vacuabatur Blaſius; nihil illi moleſtum erat: Cum veró teretes ſolúm vermes poſtremúm excerneret, praecedentem aliquem ventris dolorem patiebatur. Poſtea omnium vermium ſuſpenſis ejectionibus, licèt Homo bonâ frui valetudine videretur, improviſi varii ac periodici ſed breves, neque impenſi, ventris dolores, quaedam ſaltem non infrequens, nunc ad *epigaſtricam*, nunc ad *umbilicalem* ſedem, nunc etiam per totam coli zonam moleſtia, indè in ventris murmura deſinens; ulteriùs ad ſtomachum primúm, indèque ad totum corpus non rarus caloris ſenſus, & tenſio incommoda, ſubitaeque interdum anorexiae, vagantium adhuc per inteſtina lumbricorum, non omnino naturalium, praebere ipſi indicia videbantur: Caput non raró turbatum erat & grave, cum quodam ad aures ſonitu: Quae tamen quám citiús deſinebant. Haec omnia tribus mihi viſitationibus Blaſius diligenter aperuerat. Plures alias longo noſtro praxeos XLIII ann. curriculo variarum ſpecierum ac magnitudinum veras taenias, earumque partes vidimus, vel ſolas, vel cucurbitinis vermibus, vel teretibus, vel utriſque ſociatas, cum febre

bre, vel sinè febre, vel sinè molestia de-degentes exeuntesve; ut de varia earum indole suasus sim. Quidam Eques, propè L annos nunc agens, in hac Urbe plura jam hujusmodi taeniarum frusta, multas ulnas semper aequantia, sed semper variae longitudinis, dejecit, & identidem dejicit; quorum aliqua nos balsamico in liquore servamus. Plures certè in hujus Viri intestinis simul esse taeniae videntur. Nam quae a nobis in figura prima, cum suo capite exhibetur, harumce taeniarum est. Eques interea adhuc alias eliminat: Neque ulla unquam ab iis animantibus incommoda sustulit; Cum optimè semper carnosus, vegetus, fortis ac coloratus fuerit: & militaris Vir, sua semper omnia strenuè officia perfecerit. Nullos autem, quod sciam, cucurbitinos excrevit. Anno MDCCXXVI Femina, XXX annos nata, dum acutâ putridâque febre torqueretur, quatuor sedibus, quatuor distincta taeniae fragmenta reddidit: Quae simul sumpta viginti ampliùs pedes metiebantur. Quâcumque excretione pendulae hae ab ano lati vermis portiones, vi manuum extractae abruptaeque sunt: Citòque indè convaluit. Mulier aliis quoque excretionibus cucurbitinos plurimos dederat Variis quoque temporibus similes passa erat cum

ſolita divulſione ejectiones, ſemper cum febre, nauſea, conatu ad vomitum, proſtratione virium ac ventris cruciatu: ſed repetitas expulſiones promta ſequebatur valetudo. Adeò diſſimiles humanarum taeniarum indoles ſunt. Haec tamen femina non ita pridem pleuritica ac ſuppurata praeſtita, fato ceſſit. Sed Blaſius Sonettus noſter, compoſitis aliquando poſt alias excretiones vermium rebus, ad hanc uſque diem, ut puto, in vivis eſt. Ita ſi opus eſſet, quemlibet de iis, quae diximus, reddere certiorem valeret. In noſtris iis caſibus id ſatis non apparuit, quod ab Aliis obſervatum legimus: Seu veras primique generis taenias ſtatis anni temporibus ſolvi, earumque fragmenta ſpontè excerni. Quandoquidem Fabricius Hildanus affert (*e*) feminam circa aeſtivum ſolſtitium, latorum vermium longa fruſtula ſpontè excernere ſolitam, extra illud tempus, vel fortiſſimis vexatam purgantibus medicamentis, nunquam excreviſſe: Porró reduce praeſcripto tempore, spontè illa rurſus prodire, tanquam solo criticoque naturae imperante motu. Idem pluries obſervaſſe aſſerit Clericus (*f*) in hominibus, certo tempore, *ſeu ſemel aut bis tantùm*

(e) *Centur. II. Obſerv.* 73.

(f) *Hiſt. lat. lumbr. Cap. XV.*

tantùm singulis annis, taenias aut taeniarum partes vel spontè, vel lenioris purgantis operâ, eijcientibus; qui alio tempore, vel validioribus catharticis adhibitis ac repetitis, ejicere omnino non valebant. An ergò, si ita est, in taeniis, caudarum jam impensè accretarum hinc jam supervacuarum habita, determinatis temporibus spoliatio, instar illius exuviarum Serpentum, certis quoque temporibus susceptae, cogitanda esset? Sed cum aestivis praesertim diebus, observante Fabricio, istiusmodi taeniarum spolia contingant; an fortè in taeniis motuum tempora, temporibus motuum teretium lumbricorum respondent? Hi quidem, plusquam aliis tempestatibus, vernâ aestivâque, praecipuè ob generationis operam, moventur. Ita in infantibus puerisque, quibus major rotundorum vermium copia est, majores horumce motiones exitusque certis illis temporibus fiunt. Ita pariter herbarum vermiculationes (de quibus quidquam inferiùs) vere & aestate, vix temporibus caeteris, observantur. Plinius taeniarum quoque mentionem facit; sed triginta tantummodo pedum longitudinem affert, non veró 300., ut Quidam ex Plinio malé deduxerunt. En Plinii verba (*g*): *Sic*

Mala Plin[...] apud Aliqu[...] taeniarum lo[...]gitudinis inte[...]pretatio.

(g) *Lib. XI. Cap. XXIII. Hist. Nat.*

intra hominem taeniae tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine. His de taenia breviter expoſitis videat quis, admittenda ne ſit determinata ejus ſpecies, quot ſunt hucuſque ab Auctoribus traditae earum differentiae: vel potiùs (quod tamen ſuis quoque difficultatibus non caret) concludendum ſit, inſecta haec, inter ſe tam diſſimilia, totidem monſtra eſſe, quae a teretium vermium generationibus proficiſcantur, & plures mentiantur ſpecies. Taenias primi generis, illae ſecundi generis ſequuntur, quae non unicum animal ſunt, ut *Solii* nomine intelligere voluit Clariſſimus *Andry* (*h*), ſed ut optimé probat Illuſtriſſimus Valliſnerius (*i*) nihil aliud ſunt, niſi ſeries quaedam animalium, quae ob ſimilitudinem, quam habent, cum cucurbitarum ſemine, cucurbitini vermes nuncupantur: & totidem ſunt, quot ſunt noduli, qui in iis taeniis enumerantur. Itaque etſi multa quoque de his animalibus a Multis jam dicta fuerint; cum tamen hucuſque rem hanc non ſatis attigiſſe videantur; quae mirabilis omnino, & multis adhuc difficultatibus obvoluta eſt; non

Taenia non vera, ſeu ſecundi generis, ex Cucurbitinis Vermibus confecta.

(h) *De la Generation des Vers dans le Corps de l'Hom.*

(i) *Conſid., ed eſper. int. alla Gen. de' Verm. ord. del Cor. um.*

non abs re erit, postquam de morbosis generationibus sermonem instituimus, & inter morbosos vermes, cucurbitinos etiam annumeravimus, de his pauca quaedam referre.

Nostra Cucurbitinorũ vermium Historia.

Quidquid itaque & quoquo modo ab aliis Scriptoribus jam traditum sit de horumce *Entomatum* proprietatibus; ea tantùm nos describemus, quae non aliundé accepimus, sed ipsi summâ adhibitâ diligentiâ observavimus. Diu multumque a nobis dubitatum est, an reapsè cucurbitini, catenae ad instar, inter se corniculorum ope annecterentur, & taeniam aliquando formarent. Cumque nobis hanc rem visendi cupidis, nunquam obtigisset oculis ipsis inspicere, quae ut vera ab Aliis jam tradita legebamus; dubitationem, immò incredulitatem augebat quorumdam cucurbitinorum forma, qui nobis delati fuerant. Nam, ut supra, cucurbitinos quosdam acceperam (non tamen recéns ab intestinis exclusos) qui in uno extremo, seu *s.* nonnihil acuti erant, perindè ac si triangulum *Isoscele* imitarentur. Sed cum intellexissem, in nostra hac Urbe adesse quemdam Torquati Equitis Cubicularium (*l*) qui conti- *Fig. VII.*

(l) *Mr. Henri, aetate nunc circiter annor. 45., in hac Urbe habitans, ad initium Vici Sancti Spiritus.*

nuò cucurbitinos per ſedem emitteret; in ſpem illicò adductus, me novum aliquid obſervare poſſe, eum adii. Qui poſtquam de affectione ſua interrogatus, eandem exponere aggreditur; repenté manum in femoralia conjicit, eâque retractâ: Haud meliori tempore, inquit, ad curioſitatem tuam explendam, huc accedere potuiſſes: accipe & vide. Sic dicens, cucurbitinum unum porrexit. Deindé verò enarravit, quomodo poſt ſex annos continuos animalia haec faecibus commixta dejiciat; & quomodo interdum, ut tunc coram evenit, ſpontè exeant; eosque, a quodam frigore, per contactum ad coxas excitato, ſtatim exiiſſe percipiat. Et denique nullo modo his animalibus ſe vel nunc, vel antea moleſtiâ affectum fuiſſe affirmavit, ſi quandam ſenſationem pruriginis ad anum excipias: Tum verò ſemper haec diſcreta, nunquam copulata emiſiſſe. Traditum mihi inſectum iſtud, illicó aquae immerſum, & poſt horas duodecim diligentiſſimè, ſed nudis oculis inſpectum, hanc formam exhibuit. Quatuor lateribus circumſcriptum, ad rectanguli parallelogrammi figuram nonnihil accedebat, ejuſdem omnino formae, ac magnitudinis, quae ſchemate repraeſentatur. Ab
Fig. VIII. extremitate *e.* non aequalia cornicula, ſed
tamen

Fig. VIII.

tamen exſtantiae, cucurbitarum ſeminibus ſimiles, prodibant. Atque haec extremitas ſubtilis extenuataque, velut in aciem deſinit. Extremitas verò oppoſita *f.* ita duplicata; ut in duo labia admodum ſubtilia aperiatur; & rimam *a. f. b.*, ab uno ad alterum hujus lateris punctum productam, apertiſſimè oſtendat. Quo poſito, etſi nunquam unitos ſimul, in zonae formam, cucurbitinos vidiſſe nobis contigerit; multo tamen facillimè quisque intelligat, quomodo *animalcula* haec, horumce labrorum ope, ſimul jungi queant. Lateris enim *e.* acuminata utrinque ſtructura, ad penetrandum in rimam lateris *f.* alterius cucurbitini; Rima verò reſtricta arctataque, ad penetrans retinendum latus, aequé aptiſſima ſit. In altero ex majoribus lateribus, *i.* foramen poſitum eſt: quod ab utraque extremitate aequaliter diſtat (minora latera extremitates appello) rotundum & patens; atque in cucurbitini corpus, ac ſi illud tranſverſim ſecaret, & in duas aequales partes divideret, inſinuatur. Gracilem labroſum limbum, foramini circumductum vidimus: impenſum uber, quod a pluribus depingitur, non vidimus. Hujus *animalculi* color ſubalbus; & ſimul nonnihil translucidus: Undè fit, ut foraminis illius pro-

greſſus in cucurbitinum, ſub nigricantis lineae veſtigio ab *i.* versús *c.* directè transpiciatur. Pars una vermis nonnihil convexa, altera verò paulisper concava. Fibrarum directio ab uno *e.* ad aliud extremum *f.*. Subſtantia non multum ab ea limacum disſimilis. Immó inſectum iſtud, non ſecús atque limax, quà reptat, dum adhuc vivens eſt, ſubſtantiam quandam viſcidam & lubricam inſtar tenuisſimi glutinis expuit. Nam haec *animalcula* interdum uſque ad quartam horae partem, poſtquam a memorati hominis inteſtinis prodierunt, moventur & vivunt; & priusquam omnino vitam amittant, corrugantur, albamque liquoris lactei guttam per dictum foramen exprimunt. Sed poſtquam mortua ſunt,& corrugantur magis,magisq; contrahuntur ad illud praeſertim extremũ, quod apicibus tanquam cornibus inſtructum eſt. Immò ibi conicam figuram acquirunt. Quapropter figura VII cucurbitinum repraeſentat, qui jam probabiliter corrugatus erat, quando nobis ab alio Homine tranſmiſſus, & hinc delineatus fuit. Haec ſunt, quae in hiſce inſectis nuperrimè nobis obſervare contigit; aliisque, ſi placeat, nunc oſtendere parati ſumus. Quare cucurbitinorum junctura ſimilis eſt, in naturalibus, nexui & articulo vomeris

ossis in humano corpore: Quod nempè ad posteriorem septi narium partem, firmiorem efficiendam, superiùs & anteriùs per insculptam rimam cum indito *ethmoideae* majoris laminae margine, & cartilagineo narium claustro copulatur; inferiùs verò & posteriús proprio extremo in communi maxillarium & *palatinorum* ossium fissura committitur: Et in artefactis illa lignorum aliorumve solidorum corporum contignatio, quae Ital. *incastro* Gall. *assemblage* appellatur, hanc quidem cucurbitinorum copulationem perbellè imitatur. Ita cum in iis mechanicis instrumentis corpus per fissuram excipiens, ab Artificibus *femina*, excepta veró alterius corporis, in latam aciem promissa extremitas, *mas* dicta sit; an non eadem apprimè nomina naturali hujusmodi cucurbitinorum contignationi tribuenda essent, (etiamsi hi vermes Hermaphroditi sint, ut inferiùs videbimus) adeout ingrediens cucurbitinus, mas ipsum absolutè aestimetur; excipiens verò, feminae munera exequi dici possit; eò praecipuè, quòd hanc *intestinalium* viventium conjunctionem, ad solum generationis negotium institui, nobis in aperto sit?

Quippè iis omnibus animadversis, cum nullum nobis ampliùs dubium supersit de cucur- *Copulatio & catena cucurbitinorum, ad gene-*

rationis nego-tium instituta est.

cucurbitinorum mutuae connexionis modo, nunc obiter quaerere operae pretium est, cur haec *animalcula*, quâ parte acuminata sunt, eâdem se in aliorum rimam intrudendo, mutuis nexibus, longam seriem, velut catenam constituant; ita ut illud, quod jam alterius rimâ detinetur, suâ deindè rimâ alium excipiat; hoc verò tertium, & *successivè*. Animalia omnia quibusdam anni tempestatibus, aestu quodam venereo corripiuntur, seu vero potiús *orgasmo*. Id sané piscibus, insectisque aliis, & avibus imó contingit. Nam vere novo, quotannis amore exaestuant aves. En Passeres praecipuè, qui hinc indè volitantes, demissis & tremulis alis pipilant: Ranae plus solito coaxant & conjunguntur: Pisces discursant, extra undas evehuntur, & ad ripas etiam, vernali tempore amoris aestu saltantes, exeunt. Ergo vermes hi breves & lati, *orgasmo* quoque suo correpti, simul exposito modo nectentur: Ut scilicet eorum species deindè propagetur. Quid veró, si multi, uno tempore, eodem oestro, eadem coeundi libidine corripiantur? Multi pariter simul, alter alteri, haerentes jungentur. Sed quomodo ille idem, qui alterius rimâ excipitur, suâ deindè rimâ alterum vermem, seu socium cucurbitinum excipiat? Nonne

ne mares a feminis sunt distinguendi ? Nonne in animalium generationibus munera diversa sunt; itaut quod mas, dum jungitur, efficit, ab ejusdem speciei femina praestari haudquaquam possit? Ita sanè. Sed non de omnibus animalium speciebus idem sentiendum est. Nam etsi animalia illa, quae insecta non sunt, in suis speciebus ita marem & feminam habeant, ut quod munus a mare praestatur, idem haudquaquam femina efficere possit; tamen insectorum non eandem esse legem constat. Clarifs. enim Redius & Vallisnerius in *zootomicis*, ut ajunt, dissectionibus, quas de limacibus & teretibus vermibus praecipué instituerunt, utrumque sexum in iis reperisse testantur; ita ut teretes vermes *ovariis* omnes instructi sint: Limaces autem quoddam in venereo opere generationi dicatum organum ex ore propendens emittant; quod in omnibus eandem formam referre videtur. An igitur dicendum erit, in animalium illis speciebus, quibus omnibus *ovarium* inspicitur, omnes feminas esse? Profectò si res ita se haberet, horum animalium coitus nunquam sequerentur. Atqui tamen animalia haec coeunt. Ergo, ut iidem Clarissimi Auctores concludunt, in omnibus utrumque sexum esse,

affir-

affirmandum eſt: Ut meritò hermaphroditi ſint appellanda. Hoc igitur poſito, quid ni cucurbitinos etiam, ductâ ab aliis vermibus inſectisque analogiâ, utroque ſexu praeditos eſſe dicamus; Cum praeſertim ad eorum connexiones explicandas, & alia quae in hiſce *animalculis* obſervanda occurrunt, id unicè dicendum eſſe videatur? Igitur cucurbitinus quidam *orgaſmo* correptus, alium cui adjungatur quaerat, inveniat, ſimulque copuletur. Hoc duorum nexu poſito, ſi tertius accedat, qui jungi velit, (ſunt Hermaphroditi omnes, ut diximus) illius, qui jam conjunctus eſt, rimam offendens, corniculis pariter ſuis cum illo jam nexo committitur; ſicque alii poſt alios. Ita catena illa cucurbitinorum exurget, quam plerique modò Auctores, ſecundi generis taeniam, aliterq;, ut ſupra, Clariſs. Andrius, nominare ſolent. Porrò, inter Alios, Clariſs. Vallisnerius cucurbitinorum collectiones aeſtivo tempore obſervavit (*m*). Hoc veró tempore humanos & non humanos omnes, catulire vermes in comperto eſt.

Quod quidem confirmatur ab expoſita fabrica; atque inſuper ab analogia.

Quod de cucurbitinorum coitu breviter a nobis hîc ſcripum eſt, ita quidem expoſuimus, non ut novi aliquid in medium proferre

(m) *Dell' origin. de' ver. ord. nel Cor. um.* edit. Patav. *fol.* 69.

proferre videremur; sed tantummodo, ut ex uniformibus super eadem re observationibus, veritas magis magisque appareret. Nam praeterquamquod a Medicis Arabibus, eorumque aliquot Interpretibus aut Sectatoribus, ut adnotavit Daniel Clericus, (n) vermes cucurbitinos jam indicatos fuisse, mutuamque vermium istorum connexionem observatam esse constat; quin tamen eorum ullus, quâ ratione id fieret, exposuerit; solers insuper Vallisnerii industria, cucurbitinorum corporis partes, tum exteriores, tum interiores (verba sunt Clerici) graphicè anatomicèque describens, easque speciatim designans, quibus mutua ista eorum adhaesio perficitur; quod ad insecti hujusce perfectam notitiam spectat, ita investigavit; ut ferè nihil Aliis porró addendum reliquerit. Ast quoniam in rerum naturalium inquisitione nullus omninó terminus inveniri potest; & interdum quae omni ex parte aperta & cognita fuisse existimantur, aliquid adhuc in se recondunt; propterea nullam me Scriptorum Cuique injuriam fecisse arbitror, si quae de cucurbitinis sentiam liberé scripserim. Quamvis enim egregius historiae naturalis Cultor, atque immortalis memoriae Vir, Vallisnerius, quod

(n) *In Histor. lator. lambric.*

quod ad mutuos cucurbitinorum nexus pertinet, id ita evenire arbitratus est, ut eorum sententiam, qui id fieri generationis caussâ putant, minimè probans, eam amplexus fuerit, quae statuit, ob aliquorum succorum pravitatem cucurbitinos, ut a communi nocumento evadant, simul connecti, atque *ignotae mortis timore* (o) *actos*, aliorum animalium more, unà multos effugere; tamen ea nobis longè magis arridet opinio, quam superiùs cucurbitinorum nexus explicaturi, etiam *divinando* exposuimus: Non enim scrobiculos, non geminas foveas, sed unã rimam ad totum latus *a. f. b.* apertam luculenter intuemur; in qua efficienda, probabiliter majus aliquid a natura cautum est, quàm ut ejus adjumento haec animalia aliquando simul necterentur, atque *ignotae mortis* periculum vitare possent. Si enim ad insectorum hujusmodi conservationem tam notabile machinamentum a natura institutum est; cur non hujus auxilio interitum effugiunt? Quae enim de aliorum animalium connexione in superandis periculis exempla adduntur, nihil ad eandem rem in cucurbitinis probandam conferunt. In illis nulla partium dispositio, aut structura, quae ob hanc solam effugiendi

Fig. VIII.

(o) *Clericus ex Vallisn. cit. Histor. Cap. VI.*

giendi necessitatem a natura destinata sit: In his notabilis scissura, quae huic tantùm usui inserviret: In illis talis naturae instinctus, ut, si eo utantur, simul unita a graviori vitae discrimine liberentur: In his, naturâ pariter docente, ita fierent nexus, ut etiamsi a malis succis effugiant, ad pejora tamen loca (idest extra humanum corpus, ubi statim intereunt) simul juncta dum transeunt, certam perniciem inveniant: Illa, servato simili quodam, ac constanti naturalis instictus ordine, si quando eadem offeratur occasio, uniuntur: Isti veró plerumque, immó ferè semper, extra humanum corpus, spontè etiam, non catenatim, sed separati prodeunt. Nam Noster hic, de quo scripsimus, Taurini cucurbitinos saepissimè dejicit; qui tamen hucusque catenas, instar aliorum animalium, quae *caudas inter se mordicus tenent* (*p*), nunquam constituerunt. Ad haec etiam accedit, cucurbitinos inter utriusque sexus insecta probabiliter numerandos esse: Quae omnia, si quis ritè perpendat, nullus dubito, quin a nobis superiús expositam de cucurbitinorum catenis opinionem, saltem aequè ac reliquae, probabilem inveniat. Quod veró ad difficultatem eosdem ab invicem sepa-

(p) *Idem ibidem*.

ſeparandi, quae tanta aliquando eſt, ut potiús in media corporis parte ſcindantur, quàm nexus deſerant; id profectó aequè difficilè eſt in quacumque ſententia: Immó noſtrae potiùs favere videtur. Nam in iis, quae a Scriptoribus afferuntur exemplis, de quibusdam animalium connexionibus eo tempore, quo vel ſedem mutare, vel ab aliquo vitae diſcrimine evadere ſtudent, nunquam ſit tam firma cohaerentia, ut non facillimè diverſa agantur, & ſeparentur: Contra veró longé firmiores obſervamus animalium, & praeſertim inſectorum quorumdam connexiones, dum coeunt generantque. Exemplo ſint inſecta illa domeſtica, ut ita dicam, quae ex bombycibus, mirâ metamorphoſi in papiliones mutantur: Ex his mas & femina, nonne, dum junguntur & coeùnt, integris etiam diebus cohaerent? Immó ſi eorum aliquis trahatur, aut ſuſpendatur, nonne interdum alter etiam trahitur atque ſuſpenditur? Alia non deſunt inſecta, quae coitus tempore ita difficulter avelluntur, ut etiamſi alterutrum in fruſta ſecetur, non tamen amplexus venereos deſerant. Quinimmó in nonnullis quadrupedibus conjunctionis hujusmodi tenacitas oſtendi poteſt. Non ſemel enim in canibus obſervavimus tam firmam

in

in coitu adhaesionem, ut vel alterutro suspenso, utrique steterint suspensi; vel virgis aut fustibus caesi, nonnisi difficillimé, & post multos hinc indè conatus, dissociari potuerint. Et fortè ut in canibus, ita in cucurbitinis, ingressi in rimam apices tument; ut ideo initi connexus admodum tenaces evadant. Sed, ut cucurbitinorum taeniae seu catenae, rarissimae sunt; ita non tam difficilé dissolvuntur: Has caeterúm Petrus de Apono primus post Arabas memorasse videtur (*).

Quae supersint in cucurbitinorum Anatome illustranda.

De cucurbitinorum Anatome, nulla modò dicenda supersunt. At si quid est, quod illis in *animalculis* diligenter adhuc investigandum sit; id profectò mihi caput esse videtur. Dubitari enim admodum potest, an quâ parte apices apparent, ibi sit caput: Atque dubitandi occasionem praebet Clariss. Vallisnerius, qui se observasse tradit, canalem illum, quem velut *thoracici* officio fungi putat (*q*), ad utraque extrema non desinere, sed pauló ab extremis distare. Enim veró cum ibi os adesse putent, ubi situm est caput; cumque caput corniculis designari autument; reliquum esset ut canalis ille, quem

T *thora-*

(*) *Saec. XIII. vid. Concil. Diff.* 101.

(q) *Dell' orig. de' verm. ord. nel Corp. um.* edit. Patav. *fol.* 64.

thoracicum vocant, & cibarii munere fungi debet, ad extremitatem ſaltem unam pertingeret, puta ad os, undè incipere deberet. At quorſum canalis ille, qui a laterali foramine *i.* verſus *c.* rectá in cucurbitini corpus inſinuatur? An fortè laudati canalis *thoracici* pars? Illius ſaltem extremum dicendum eſſet, quia ab eodem canaliculo per foramen *i.* extillare ſolet gutta quaedam albicantis, & feré lactei liquoris, qui illius *chyli* pars eſſe dicitur, quo inſecta haec in inteſtinorum tubo nutriuntur. Quod ſi res ita ſe habet, non video, quomodo canalis, qui *thoracici* munere fungi dicitur, ille ſit, qui per medium cucurbitinorum dorſum directus, paulo infra extrema deſinit (*r*). Longè enim probabilius eſt, extremum unum cibarii (ſic dixerim) canalis in cucurbitinis eſſe foramen *i.* aliud veró ſimul cum ore & capite adhuc inveſtigandum eſſe. Neque enim cucurbitinorum inceſſus nobis apertè capitis ſitum deſignare valet. Nam animalia, quae extra proprium clima, ſic dixerim, inveniuntur, non incedunt, ut eis natura dedit; ſed quo tantùm modo poſſunt, feruntur. Idque obſervamus in piſcibus aliiſque hujus generis

Fig. VIII.

(r) *Vid. Fig. IX. Tab. II. in cit. Vallisn. Opere.*

ris animantibus ; quae extra undas, non naturali ordine & capite antrorſum, ſed quà poſſunt ſalientia, hinc indè turbatè flectuntur & repunt. Quod idem de cucurbitinorum inceſſu ſentiendum eſt : qui extra humanum corpus licét incedant atque recedant, id non ut debent, ſed quo modo poſſunt, peragere nituntur. Inſuper etſi verum eſt, inſecta alia, quae facilé per oppoſitas partes, inſtar ſcolopendrae, feruntur ad alterutrum extremum, diſtincto capite inſtrui ; tamen laterale illud foramen *i.*, quod pro cibarii canalis extremo orificio habendum eſt, in cucurbitinis caput alibi ſitum eſſe demonſtrat. Omnia enim quaecumque in hac rerum univerſitate vivunt inſecta, orificium illud, per quod ſui generis faeces excernunt, vel ad extremitatem capiti oppoſitam habent ; vel ſaltem ſi ſub imo ventre, nunquam tamen ad latera illa, quae capiti non ſunt oppoſita. Utcunque ſit: Foramen *i.* Aliis os, Alteris ſpirandi meatus, Tertiis anus, Quartisque etiam vulva audit. Dignum ſanè meliori indagine arcanum.

Inteſtinalis *humanus vermis* viviparus.

De vermibus *inteſtinalibus* morboſis atque ingenitis, ſatis multa dixiſſe videremur; niſi quae & verbis, & ſcriptis ab amico Medico accepimus, Nos ad aliquid etiam hîc ſuperaddendum inducerent. Namque

Vir iſte (*ſ*) diligens & amicus, qui in hac Metropoli Medicinam exercet, anno 1734. tradidit mihi ſcriptum, quem ipſe obſervaverat, caſum, meâ quidem ſententiâ rariſſimum, de aegrotante quadam Muliere, cui poſt tertianam duplicem accedentibus vagis doloribus in abdomine, cum oleum amygdalinum poſt alia quaedam remedia uſurpaſſet, illicò vermis unus ad ſuperiora aſcendit, & non ſiné magno aegrotantis levamine per os exivit. En
Fig. X. itaque quàm mirae magnitudinis & formae ab eodem deſcriptus ac deſignatus fuerit. Colore rubicundus erat, longitudine unius medioeris viperae, cujus extrema, pilis circumſepta, caudam uno, altero oris hiatum referente, in apicem deſinebant. Craſſities erat ad pollicis magnitudinem. Per longitudinem a capite ad caudam, recto fibrarum ordine; transverſim veró *ſpiralibus* velut fibris ejus cutis contexebatur: Quae tamen ad ventrem ſubtilior, & nonnihil pellucida erat; in aliis verò locis, craſſa magis & denſa. Vivebat autem; & pluribus id motionibus, flexuris & diſtorſionibus facilé quisque deprehendiſſet. Nec parum prodigiale eſt, in hoc verme viventem jam ſobolem extitiſſe. Namque cum ipſius citati Doctoris pedibus

(ſ) *D. Molinerius.*

pedibus disruptus humi fuerit, statim ex tumido aperto ventre vermiculi decem, & ultrá, distinctissimé prodierunt, crassitie dentis pectinis mediocris, & longitudine acus sutoriae: Qui & ipsi vitâ jam praediti se se movebant. De hujus rei veritate nihil omnino dubito: Quia Mulierem illam, ex qua vermis exivit, his adhuc diebus incolumen, Ego ipse sum allocutus: Quae rem iisdem omnino circonstantiis, quibus jam descripta fuerat, mihi enarravit. Num verò dicendum ne sit, hunc vermen ex Teretium familia &, ut sic dixerim, gigantem in humano corpore excrevisse; an potiús exterorum sobolem, aut in ovo adhuc inclusum, aut quoquo alio modo, in illius Mulieris stomachum descendisse; animi pendeo: Nec pudet rei difficultatam & obscuritatem ingenué fateri. Sed quia extra humanum corpus in his nostris Regionibus insectum nullum reperitur, quod aliquâ ratione cum descripto verme conveniat; si quid mihi asserendum esset, eum potiùs ad monstriferos teretes, quám ad quoscumque extraneos vermes referrem. Intereà certum est, vermen hunc fuisse *viviparum*: Quia si vermiculos, quos jam vivos fuisse diximus, adhuc in se retinebat, eos certé dato tempore vivos edidisset.

Humani inteſtinales *vermes in* oviparos & viviparos *diſtinguendi eſſe videntur*.

Quapropter hinc deducendum arbitror, non omnes *inteſtinales* vermes ova parere, ſed potiùs in *oviparos* & *viviparos* eſſe diſtinguendos. Clariſs. *Redi* (*t*) contra P. Honoratum Fabri & Scaligerum, quorum primus muſcas ſemper *oviparas*, alter ſemper *viviparas* eſſe tradidit, jam apertè oſtendit, muſcas non omnes *oviparas* neque *viviparas* omnes dici poſſe: Quia teſtatur, ſe muſcas aliquas vidiſſe, quae ova ſuper cibaria, alias verò, quae jam viventes vermes deponebant. Quod adeó verum eſt, ut tabularum noſtrarum Sculptor, & accuratiſſimus magnae ſpei Diſcipulus noſter Nicolaus *Brovardi*, cum cadaveris partem curioſitatis ergo incidens, eandem omnino rem obſervaverit, meisq; oculis ſubjecerit, & de hac commentariolū ſibi ſervandum ſcripſerit; hoc, ut ſimplex & breve eſt, hîc referre placet „ Cum puellae cujusdam caput in Magno Taurinenſi Noſocomio diſſecaretur, ut *lacrymalium* ductuum praeparatio fieret, ejusdem capitis dimidium mihi, genuinam *lacrymalis* ſacci formam viſendi cupido, ab amico quodam Chirurgo allatum fuit. Cumque diligenti aliquot horarum labore, quae inquirebam detexiſſem, partem illam ſupra feneſtram ad aliquod tempus

(t) *Eſperienze intorno agli inſetti Tom. I.*

„ tempus reliqui : Quò statim muscae ali-
„ quot grandiores , ut ibi partus suos de-
„ ponerent , advolarunt . Brevi subindé ,
„ cadaveris partem illam manibus prae-
„ hendens , muscas aliquot evolasse vidi ;
„ unicâ exceptâ , quae immota , & velut
„ emortua reperta est . Quî autem id fie-
„ ret statim revolvens , muscam omni mo-
„ tu destitutam seposui; diligenterque scru-
„ tari coepi , an quaedam muscarum ova
„ in memorata capitis parte invenirem .
„ Sed praeter ova , vivos & per carnem
„ reptantes vermes animadvertens , eosq;
„ non ab ovis tam citó exclusos meditans,
„ protinus dubium succurrit , an musca-
„ rum aliqua vivos vermes ; nullisq; ovis
„ inclusos peperisset . Neque ea opinio
„ fallsum me habuit . Nam sepositam jam
„ antea exanguem muscam , summis di-
„ gitis versùs imum ventrem comprimens, *Fig. X.*
„ vermes qui adhuc in eadem continebàn-
„ tur , post alium alius , & interdum ge- *Fig. XII.*
„ mini, se se hinc indé flectentes & con-
„ volventes , miro oculorum spectaculo
„ in lucem prodibant . Id Illustriss. Prae-
„ ceptori meo Joanni Baptistae Bianchi ob
„ oculos posui , qui utpoté naturâ suâ de
„ rebus a se visis potiùsquam aliundé ac-
„ ceptis , agere cupidus , ut muscam il-
„ lam viderem lentis ope adauctam , ver-

 mes-

„ mesque in aenea vermium tabula inci-
„ derem , mihi ſtatim commiſit . Muſ-
„ cam illam poſtriduó velut exſiccatam
„ ſubtili cultro dividens , exenteratam &
„ omninó vacuam inveni : Si tantùm ex-
„ cipias ſupremam thoracis partem , ubi
„ tres adhuc ſe ſe motantes vermes exta-
„ bant . Dicat nunc aliquis , cur muſca
„ haec , nemine exteriùs laedente , mor-
„ tua ſit ? An fortaſſe partus doloribus
„ ſublata ? An a filiis intus exeſa , inte-
„ rempta eſt ? Alterutrum dicendum . At
„ quidquid ſit , nihil de hac re ſtatuere
„ auſim ; proindéque aliis judicium fe-
„ rendum relinquo„ Hactenus Brovardus.
Quod ſi res ita eſt , ut revera nos ipſi vidiſſe teſtamur ; cum argumenta illa , quae a naturae analogia ducuntur, in rebus naturalibus plurimùm valeant , & immó pro validioribus habenda ſint ; tum ex allata *vivipari* vermis hiſtoria , tum ex muſcarum analogia , *inteſtinales* vermes , in *oviparos* & *viviparos* diſtinguendos eſſe arbitramur . Quod quidem obſervatione ulteriùs , luculentiſſimé demonſtratur; nam quemadmodum Redius , Malpighius, Vallisnerius Aliique oviparos humanos lumbricos deſcripſere; ita *viviparos* alios Amatus Luſitanus (*u*) , Panarolus (*x*) , Foreſtus

(u) *Cent.* 3 . *Curat.* 46.

(x) *Pentec.* 5 . *Obſ.* 15 .

restus (*y*), Schenckius (*z*), Petrus Borellus (*a*), Verattus (*b*) & Andrius (*c*), observarunt. Porró non solùm pisces per aquam serpentes, sed angues, seu terrestria serpentia animalia, *ovipara* alia esse, alia veró *vivipara*, nemo certè it inficias. An non humani lumbrici de genere serpentium animalium dicendi sunt? Quidpiam adhuc, antequam praeteream, de muscarum partubus addendum puto. Nempe nos non solùm cum Redio esse, quód muscarum aliae revera sola ova, aliae vivos vermes parturiant; sed quód eadem earum species, vermes interdum edat; quae ova semper ederet, nisi praecox tempestatis calor vermes in ventre praematurè ex ovis excluderet. Equidem muscae nostrae genus, valdé aestuantibus Julii mensis diebus, vermes peperit; quod, minús fervidis temporibus, ova solúm peperisse, comperimus.

Humani intestinales vermes, extraordinarii & extranei, atque omnino morbosi.

Nunc veró de vermibus iis pauca dicamus, qui *intestinales* etiam, & omnino morbosi sunt; sed nullâ ratione teretibus similes, adventitii à nobis existimantur. Quamquam apud aliquos ea stet opinio

(y) *Lib.* 21. *Obs.* 26.
(z) *Lib.* 3. *Obs. de lumbr.*
(a) *Lib.* 1. *Obs.* 89.
(b) *Galleria di Minerva Tom. VII. fol.* 66.
(c) *De la Generat. des ver. Cap. IIV.*

nio, ut nimirum extranea animalia in humani corporis inteſtinis, aut propter calorem diuturnum, aut propter continuam ſolventium humorum affluentiam, nullâ ratione vitam ducere poſſe autument; proindèque tanquam inter aniles fabellas referre ſoleant portentoſos ac mirabiles quoſdam eventus, qui a Celeberrimis Medicinae Scriptoribus, Petro Borello, Thoma Bartholino, Oligero Jacobeo, Tillingio, Salmutho, Schenckio, Sennerto, Montuo, Rulando, Segero, Gemma, Roeslero, Volgrado, Brukmanno, Ruyſchio Aliisque, de Araneorum, Serpentum, Ranarum, Bufonum, Talparum, Piſcium, Cancrorum, Scorpionum, Lacertarum, Salamandrarum, Quadrupedum aliorumque id genus exterorum animalium excretionibus traduntur: Tamen nullo modo probabile eſt, tot Clariſſimos Graviſſimosque Viros ſimul omnes deceptos fuiſſe. Neque naturalia quaedam phaenomena ideo deneganda ſunt, quia humanam omnem intelligentiam & captum excedant. Nam quidam naturae effectus continuò obſervantur, qui licèt nullâ ingenii acie attingi poſſint, ab Omnibus tamen neceſſariò admittuntur. Quis enim explicet admirandas magnetis, aliorumque corporum *electricas*, ut dicunt, proprietates

prietates? Nemo hercule: An propterea denegandae sunt? Quod si quis inveniatur, qui rerum novitate atque admiratione perculsus, nullam Scriptoribus fidem velit adhibere, quia scilicet id tantùm in rerum natura evenire posse praesumat, quod ipse concipere & explicare potis est; cohibeat saltem, si placet, assensum, & dubitet (siquidem de rebus dubitare omnibus licet): At illud absolutè non inficietur, quòd etsi minús intelligat, falsum tamen esse, non noverit. At quorsum haec? Ad *intestinales* morbosos & adventitios vermes revertamur. Jam superiùs aliqua breviter attigimus de verme quodam, a Doct. Gallina nostro per Epistolam (*d*) nobis adscripto, qui vivus ab Adolescente per vomitum ejectus, cum nullam omninó similitudinem habeat ad *intestinales* ingenitos vermes, a nobis inter adventitios reponitur. Ego cum hujus iconem perspicerem, *intestinalem* inusitatae speciei erucam nominare malui: Reminiscens, quàm olim legeram, a Cl. Albrecto habitam, vomitarum erucarum feré similem Historiam: (*e*) Nimirum „ Rusticum diuturnos & atroces

Fig. XIII.

Humanarum erucarum Historiae.

(d) *Legatur Epistola ad hujusce Partis finem edita.*

(e) *Misc. nat. cur. dec. III. ann. II.*

„ atroces ventriculi dolores, non rarò „ sudores frigidos, animique deliquia passum, *emetici tartari* opere viginti circiter erucas vomuisse: Quas idem Albrectus partim vivas & celerrimè repentes, partim emortuas viderit; coloris nigerrimi, magnitudine & figurâ proximè ad illud erucarum genus accedentes, quod Goedartius *Metamorph. & Hist. nat. insect. par. 2. experim.* 39. depingit; nisi quod glabrae, pluribusque instructae essent pedibus „ Antiquitús quoque similes ab hominibus vivasque excretas erucas, Benivenius, Dodonaeus Petrusq, Borellus descripserant. Quoniam verò casus erucae hujus nostrae, ut a citato Viro descriptus fuit, commodè in ejusdem Epistola, huic operi adnexa, perlegi potest; Hinc ad alium monstruosum vermem, transitum facimus; cujus Historiam hîc breviter enarrare aggredimur.

Historia humani intestinalis lacerti-formis *vermis.*

Miles quidam Legionis *Rehbbinder* aetate annorum XLII. temperamenti melancholici, & continuò pallidus, edax, immò immani inexplebili *Bulimo* jam dudum captus, necnon stomachicus, *cardialgiis*, praecordiorum angoribus, & colicis doloribus obnoxius, assiduâ febri correptus anno MDCCXXIX autumnali tempore, ad Nosocomium se transtulit. Varia deindé

indè accesserunt symptomata, *cardialgia* saevior, colici constantes dolores, sitis, vigiliae, ventris morsus, totiusque abdominis tensio usque ad *epigastricam* regionem. Plura adhibita fuerunt remedia ad ventrem emolliendum, fomentationes in primis & clysteria. Vinum *emeticum* insuper, & oleum amygdalarum dulcium propinatum est. Principio Vinum *emeticum* nihil, nisi vomitus excitavit: At deindè suppositorii adjuvantis ope, prodigiosum vermem paucis fecibus commixtum per anum dejecit: Quo excreto, post triduum, ab omni morbosa affectione liberatus est. Nunc autem vermem hunc, quemadmodum delineatum accepimus, describamus. Ejus longitudo erat spithamae unius cum minori palmo: Quà latior erat nempè circa medium, duos circiter transversos digitos aequabat: Quadrupes: Capite, cruribus & reliquo corpore ad majoris lacerti formam vergens: Colore a capite usque ad caudae principium ravus; a caudae initio usque ad extremum obscurior, & nonnihil viridis. Duabus pinnis hinc indè ad latera, quà nempe cauda exoritur, instar piscium instructus, quae, non secus atque crura, cedrinum colorem referebant: Oculi ovati, & ad limbum vividè rubri: Labia *Fig. IX.*

itidem

itidem rubra; narium meatus distincti: Per totum ventrem, & inferiorem capitis caudaeque partem, albicans: Aquae tepenti immersus, postquam ab humano corpore exierat, quatuor adhuc horas vixit: Tandem vini spiritu, ut scilicet diu servaretur, exceptus est. Haec omnia nobis retulit amicissimus Vir, indubitatae fidei raraeque peritiae, Perronus Pater, Legionis olim *Rehbbinder*, nunc *Pragelatensis* Ditionis Medicus atque Chirurgus; qui non aliundé accepit, sed omnia, quae diximus, ipse met vidit & praestitit. Nonnulli autem, qui quoque viderant, idem mihi testati sunt. Juvat hîc primúm occurrere ad id, quod statim Aliquis obiicere posset; nempe animal hoc ab aliquibus clam in lasanum conjectum fuisse, ut Medicum aut Adstantes deciperet; aut iisdem admirationem excitaret: Eâ fermé ratione, quâ olim Patavii Medicus quidam, Clarissimum Rhodium decepturus, anguem per anum in intestina cadaveris cujusdam, coram eodem Rhodio incidendi, intrudere tentavit. Atque in hanc quoq; dubitationem nos ipsi statim adducti fuimus: Quam tamen animo expulit diligens horumce animalium per Regionem illam disquisitio. Nullum etenim huic simile, seu ejusdem speciei animal in illa Regio-

ne

ne, ubi Miles aegrotavit, reperiri poteſt. Quamobrem ab exteris Regionibus illuc a Milite intus delatum fuiſſe, dicendum eſt. At nihilo minùs magna narras, hîc dicet aliquis, & quae vix credi poſſint. Verumtamen ab Aliis multae fidei Viris, captu non minùs difficilia quaedam literis tradita ſunt. Quis crederet (*f*) ab humana Meninge, jam dudum ſpiritu vini immerſa, tandem tres fungos diſtinctiſſimos productos eſſe? Quis ſibi ſuaderet in Hominum inteſtinis latum interdum vermem latitare, qui eorum longitudinem aequet, aut etiam excedat? (*g*) Haec omnia nos ipſi vidimus, inquiunt, ergo nullus dubitationi ſupereſt locus. Ergone ea tantùm, quae ſuis oculis vident, Aliqui admittant; ea veró, quae per ipſos numquam conſpecta ſunt, denegent, immó naturaliter impoſſibilia exiſtiment? At liberè Quisquis, ut Philoſophum decet, ſententiam ſuam aperiat. Nos permulta conceptu difficillima, vera tamen eſſe arbitramur: Totque Clariſſimis rerum naturalium Scriptoribus fidem nullam adhibere, puderet: Eò vel maximè, quòd talia ferè hîc deſcribimus, qualia & ipſi retulerunt. Nonne Petrus Borellus ex

(f) *Vallisn.*
(g) *Hipp. loco ſuperiùs citato.*

(*h*) ex Homine ejectam *ſalamandram aquatilem* vidit? Nonne ejuſdem ſpeciei animal vomitu ejectum, ſe conſpexiſſe Clariſs. Horſtius (*i*) teſtatur? Et ut minor admiratio, minorque idcircò in Perroni noſtri fidem contentio ſit, ex recentioribus exemplis pluribus, ſelectum admirabilius alterum, alterumque noſtri ſimillimum adjiciamus;, Joſephus de Rogerio (ſcribit amiciſſimus olim Lanzonus, *Protomedicus* Fer-
„ rarienſis (*l*)) poſt malignam febrem &
„ ſubſequentem dyſenteriam, tantâ fame
„ correptus eſt, ut unâ die varii gene-
„ ris eſculenta ingurgitaverit ferè ad li-
„ bras 64.: Nec tamen exindè fameſce-
„ re deſierit: Inopinatò vermem vomuit,
„ ita grandem & horribilem, ut ſerpen-
„ tis formam ac magnitudinem referret:
„ Qui ſtatim ab egeſſione vitâ privatus,
„ longitudinem ſuae molis exhibuit pal-
„ morum 27 & ultra; atque ex ſupera
„ parte pilloſus apparuit. Æger autem
„ ſenſim reſtauratus, liber a tam moleſto
„ vorandi deſiderio factus, adhuc in vi-
„ vis eſt „. Sequentia verò a prolixiori narratione contracta, Fackhii Caeſarei Conſi-

(h) *Hiſt. & Obſerv. Medico-Phiſ*
(i) *Libr. II. Miſcell.*
(l) *Ephem. Cur. Cent. V ann. MDCCXVII. Obſ. XCV*

Consiliarii & Archiatri sunt „ Rusticus
„ quidam (*m*) fossis & agris vernali tem-
„ pore reparandis dicatus, laboribus ni-
„ miùm calens ac sitiens, ex fonte pro-
„ ximo, seminiis & spermatibus inse-
„ ctorum referto, avidus haustum sumens,
„ semen alicujus animalculi, lacertae
„ scilicet, deglutivit. Excluso in homi-
„ nis cibaria fistula accretoque animali,
„ praecordiorum anxietates, cardialgiae,
„ lipothymiae, vigiliae, & in primis in-
„ ternae decorticationis sensus, violen-
„ tissimaeque contractiones subortae sunt.
„ Patiens summé famelicus, quaecumque
„ obvia alimenta devorat: Ascensus ani-
„ malis atque descensus, in ventre ma-
„ nifestè sentiuntur. Vomitu tandē erum-
„ pit animalculum, lacerta dictum, vi-
„ vum, magnum, robustum, capite sat
„ grandi, quatuor pedibus, longâ cau-
„ dâ, ac maculis subflavis, caeruleis &
„ rubris stipatum, per cubiculum hinc
„ indè circumvagans: Donec tandem fu-
„ stibus caesum & extinctum fuerit, at-
„ que in fluvium projectum. Paupercu-
„ lus quamquam exquisitè refectus, alte-
„ ro ab exclusione die vitâ cessit. In aper-
„ to cadavere, ventriculi tunicae ab un-

V guibus

(m) *Citat. Ephem. ann. MDCCXVII Obs. LXXIII.*

„ guibus & roſtro animalis eroſae viſae „ dilaceratae atque ita laeſae, ut undi- „ que ulcuſcula, eroſiones, & gangre- „ noſae apparerent inflammationes ac cor- „ ruptiones „ Nimius ergo fuerim, ſi ſimiles Veterum caſus hic addere contenderem: Lacertum vivum alvo expulſum, apud Rulandum filium (*n*) Viride animal, hirſutum, quadrupes, *lacerti-forme*, ſed craſſius, apud Montuum (*o*) Cornutum, roſtroque anati non diſſimile, apud Wierum (*p*) Nigrum, piloſum, *quinquepedale*, craſſitie arundinis ex Gabucino (*q*) *Serpenti-forme*, apud Schenckium filium (*r*) *Scarabei-forme*, apud Geſnerum (*ſ*) *Anguilli-forme*, ex Gemma (*t*) *Furcatum* caudâ, pedibusque innixum, apud Benivenium (*u*). Ita ex Rhodio, Panarolo, Salmutho, Marcello Donato, Monardio, Claudio à S. Mauritio Aliisque plurimis. Quamobrem, ut ad noſtrum deſcriptum animal redeamus: Et hoc, animalis, in aquis

(n) *In demonſtr. adverſus Ingolſtetterum*.
(o) *Lib*. 4. *Cap*. 19. *Anaſc. Morb*.
(p) *Lib*. 4. *Cap*. 16. *de Praeſtig. Daem*.
(q) *Comm. de lumbr. Cap*. 13.
(r) *De Acroamat*.
(ſ) *Lib*. 3. *Epiſt. pag*. 94.
(t) *Lib*. 2. *Cap*. 2. *Coſmocrit*.
(u) *De Abditis Cap*. 2.

aquis ſtagnantibus obvii, formam multam praeſefert: Adeo ut magnitudinis tantùm & pinnarum, hoc inter, atque noſtrates illas, quas vulgus *ſalamandras aquatiles* vocat, diſcrimen intercedat. Quamobrem, ſi ab eo Milite, qui non ſemel aliorum Principum ſigna deſeruerat, in difficillimis itineribus alicubi epotae ſint aquae, in quibus ejus generis, quod deſcriptum eſt, animalium ova continerentur, & ovum aliquod ſtomacho exceptum, & per pylorum, ad inteſtina delatum, valvularum aliquam plicamve offenderit; atque inter illam, & inteſtini parietes velut in capſula, ſeu in congrui incubatus loco, naturalis caloris ope, tandem ab eodem animal excluſum ſit, & affluentibus ſuccis enutritum paulatim excreverit, pedum ope ad eandem circiter regionem adhaerens, ne aut motu *periſtaltico*, aut fecibus deorſum protruderetur; jam nihil obſtat quominùs apertè concipiamus, id abſque ulla naturalium legum repugnantia, evenire potuiſſe.

At Cl. Vallisnerius, etiamſi quotidiè a nobis plura cum cibis vorari inſectorũ ova concedat; tamen ex iis animalia naſci non poſſe, vel ſaltem ſi excludantur, non poſſe ad debitam magnitudinem excreſcere, ſed nimio ſaltem calore necari debere, con-

Probabile fit, etiam ex ipſis Opponentiũ rationibus, animalium ova forinſecus in hominem introire poſſe, ejusque

in viſcerib: nidulari, foveri: & ex iis nova animalia excludi.

contendit. Nam ubi de his vermibus loquitur, qui ſimul cum cibis, adhuc ovo incluſi deglutiuntur ;„ Quî fieri poteſt, inquit „ (*x*), ut vermes iſtos, in Mundo „ non ſuo, viſceribus nempe noſtris ver„ ſatos, alio cibò paſtos, conditione om„ nino diverſa, naſci, vivere & augeri „ poſſe credamus ? „ En argumentum ab admiratione, reique concipiendae difficultate productum. Interea phaenomena haec, licèt difficilia, nos, quo ſaltem modo concipi poſſunt, explicare conabimur. Nemo itaque in dubium revocat, ab homine cum aqua, vel cibis, interdum etiam exterorum animalium ova quaedam deglutiri. At difficultas eſt, quamobrem ſimul cum ingeſtis cibis ſumpta ova, quae profectò tenella admodum eſſe debent, caloris & liquorum ſolventium viribus, non digerantur, ſolvanturque: At verò quicumque animadvertat, alia minora etiam, & teneriora ova, quám illud, ex quo deſcriptum animal prodiiſſe putamus, ventriculi inteſtinorumque calorem, motum, & fermenta non tantum ſubire, ſed inſuper integra omnino & illaeſa, lacteorum vaſorum & ſanguinis vias anguſtiores percurrere, ut interdum poſtquam cujusdam animalis corporis difficiliores meatus

(x) *Cit. Oper. dell' orig. de' ver. &c.*

tus & tramites subierint, ad alios deindè homines per vices, & *successivè* foecunda semper semina, & intacta pertranseant, quin multorum ventriculorum & intestinorum succussiones, laticumque fluentium qualitates effecerint, quominùs deindè ab iis *animalcula* adhuc excludantur; ille profectò, expositi vermis ovum, uno tantúm ventriculo exceptum, integrumque ad intestinorum plicas & cellulas pervenisse, ibique exclusum fuisse, multo faciliús concedet. Vallisnerius etenim Cl., ut dudum Hippocrates cognoverat, ipse quoque infantes ab utero Matris ita prodire asserit, ut verminosam progeniem vel jam in se habeant, vel cum nutricis lacte, postquam in lucem venerunt, suscipiant ;, Nam, inquit ipse (*y*), cum inte-
„ stina vermium sedes ordinaria sint, &
„ Mater pluribus mensibus chylo foetum
„ in proprio utero alat, hinc fit, ut ma-
„ ternorum vermium ova, aut minu-
„ tissimi vermes, in Matris intestinis oc-
„ currentes, chyli flori permixti, viis so-
„ litis ad membranas ferantur, foetum
„ in utero involventes: Eâ utique ratio-
„ ne foetum cum succo isto verminosam
„ simul, volubilemque coloniam in pro-
„ pria viscera recipere facilé quisque in-

 telliget

(y) *Citat. Oper. pag.* 56.

„ intelliget „. Et paulo poſt addit „ Si verò Mater, vermibus immunis fuerit, ut
„ caſu contingere poteſt, vel ſi vermes
„ quo tempore ea praegnans eſt, ova
„ non emiſerint; tum quidem vermes eâ
„ viâ, foetui non communicabuntur, ſed
„ accedens alia mulier, quae vermibus
„ ſcatens infanti nato ubera praebeat,
„ cum lacte ova eadem ſugenda ipſi pa-
„ riter dabit; quoniam lac a chylo di-
„ verſum non eſt, chylusque ab inteſti-
„ nis ad mammas perindè fertur „. Atqui neque major in viventis hominis ventriculo, quàm in alio quolibet ejus vaſe, gradus caloris eſt; ut Thermometri experimenta edocent; neque major attrituum ac ſolutionum eſt vis; cum ubique animalium vaſorum, ſinè attrituum perſeverantia, ſanguis & alibiles ſucci concreſcerent, quemadmodum extra vaſa ab iis tritibus ſublati, facilé citòque concreſcunt: *Sinus omnes*, ſcribebat appoſitè Cel. Hecquetus (z) *animalis partium, velut novi ventriculi & tritûs officinae, quos a ſtomacho recepere ſuccos, ſubigendo elaborare pergunt*. Si igitur ova vermium, unà cum matris chylo aut nutricis lacte, ad foetus membranas & viſcera,

(z) *De la Digeſtion &c. & de purganda Medicina a curarum ſordibus.*

ra, aut nati ſugentiſque ora, ſeu a Matris aut nutricis inteſtinis adusque uterum aut mammas traducantur; per ſingulares illos ſinus ſeu fiſtulas, per quas ea devehi oportet, non minores, quàm in ventriculo atque inteſtinis, caloris, trituum ac ſolutionum gradus patientur: Tum ſi lactea illa aut *chyloſa* ova, aut etiam jam nati ex iis vermiculi, per hos ſinus immutabilia ſervantur; ſervari ea quoque debent, quae caſu in hominum viſcera, cibo potuve introeant. Quibus poſitis, jam luce meridiana clarius evadit, quâ ratione, ovum illud, ex quo deſcriptum quadrupedum genus excluſum fuiſſe arbitramur, & longè majus, ut veriſimile eſt, ac validioribus etiam membranis munitum, ſtomachi ſuccorumque vires ſuſtinuerit. Quia verò ejus generis animalia ita a natura ſunt comparata, ut paludoſis & ſtagnantibus aquis, quae aeſtivo tempore longè magis, quám rivi & flumina incaleſcunt, inhabitent; adeo ut in undis calidioribus ſemper, vel majori numero, vel ibi tantummodo inveniantur; non adeo mirum eſt, ſi hujusmodi animal loco calido, propriaeque naturae, ut ita dicam, amico, enutritum uſque ad expoſitam magnitudinem excreverit. Quod ad cibos, quibus veſci potuerit, nullam

nullam difficultatem supereſſe exiſtimo: Cum nemo ſit, adeo parum in Hiſtoriae naturalis ſcientia verſatus, ut hujusmodi animalia, ranas pariter & piſces ferè omnes, non quodam peculiari cibo, ſed quibuslibet, quas invenire queant, enutrientibus rebus veſci ignoret. Ergo non adeo improbabile eſt, quaedam aliquoties ab Hominibus, cibis aut potibus commixta ova ingurgitari; Quae deindè in viſceribus, non obſtante aut calore naturali, aut concuſſione, aut ſolventibus vel fermentantibus liquoribus, foveantur; eaque animalia producant, quae deindè ad naturalem etiam magnitudinem adaucta, viva tandem Adſtantium omnium admiratione excernantur. Addendum hìc eſſet, horumce animalium, externas ſaltem interdum partes, *accidentaliter*, ut ajunt, immutari poſſe: Siquidem ipſum Hominum genus non eumdem habitum in omnibus Regionibus praeſefert: Cum alicubi Homines cuticulâ nigerrimâ obtegantur, ut ſunt Ætiopes; quibusdam in terrae plagis ſubfuscâ, ut in Inſulis; & alibi, ut noſtris in Regionibus, albâ; & juxta loca varia, variâ quoque faciei partium *ſyntaxi* ſint praediti. Sed quia haec facilè intelliguntur; & de his vermibus fortaſſe jam ſupra, quàm inſtituti ratio poſtu-

postularet, verba fecimus; nunc vermes ad illos, qui extra cibarium canalem aliquando in homine sunt, descendamus.

H. imani extra cib. rium canale ; norbosi vermes ; eorumque cla. ses.

Morbosi vermes, qui in humano corpore, extra inteſtina sunt, & propriè *zoophagi* ab Aliquibus dicuntur, vel degunt in partibus, è quibus patet exitus; Vel in partibus, ex quibus exire non possunt. Inter primos numerantur vermes illi, qui ab externorum sensuum organis; aut é naturalibus, aut ab aëreis seu respirationis viis prodierunt: Quarum itaque classium primae, aurium & narium vermes, oculorum insuper, & oris seu dentium, & cutis recensentur: Alterius sunt, renum atque urinalis vesicae vermes; muliebrium insuper genitalium partium; & qui morbosi viriles *spermatici* dicti sunt: Tertiam demum adimplent pneumonici. De iis gradatim nunc pauca: Postea cum aliis, qui in humano corpore nullam habere videntur viam, quâ exeant, Opusculo finem faciemus. Et primùm ab iis, qui in partibus, undè patet exitus, aut facilior saltem esse videtur, commorantur, atque inter externorum sensuum incolas, ab aurium vermibus sermonem incipientes; non primi sumus, qui de vermibus ab aure proditis sermonem instituamus; cum id ipsum Valescus de Ta-

Aurium vermes

ranta

ranta (*a*) Schenckius (*b*) Kerkringius (*c*) Volckamerus (*d*) Lanzonus (*e*) Therantanus, Panarolus (*f*) Andrius (*g*) Aliique Veteres atque Recentes, praestiterint; & plures prodire ut plurimùm, & disparis formae esse, scriptis ac figuris tradiderint. Alii nempe exhibentur adinstar granorum pini: Alii, vermiculos casei referentes: Nonnulli, ab asellis non multùm absimiles: Aliqui speciali modo rotundi. Ex iis quidam, interni dicendi esse videntur; seu ex suppurata aut ulcerosa aurium affectione nati; aut ex aliis corporis partibus traducti: Quidam verò potiùs externi; nempe in aures extrinsecùs illapsi; sivé ipsi, sivé eorum ova, a volatilibus aut aliis insectis deposita, intrarint: Ut qui primùm a Volckamero memorantur (*h*) Aliique insuper, qui caeteris majores plerumque observantur. Nos non plures, ab aure hominis simul excretos, sed unum solummodo, multorum

(a) *Lib*. 4. *Cap* 30.

(b) *Obs.Med.IV.de Aur. ex Galen. Aet.Ægin. Avic.Solen.Montan.Sylvat.Ruland.&c.*

(c) *Obs. Anat*. 19.

(d) *Ephem. Germ. dec*. 1. *ann*. 3. *Obs*. 266.

(e) *Cent. V. ann*. 1717. *Obs. LXXII.*

(f) *Pentecost*. 4. *Obs*. 27.

(g) *Oper. cit. Cap. III.*

(h) *Cit. loc.*

rum malorum, ut videtur, auctorem, auricularem vermem, vel internum vel externum, ob oculos ponere statuimus. Quamobrem si qui sint, apud quos plures illi aliorum Scriptorum vermes fidem inveniant, nulli dubitamus, quin pari jure, quem trademus, ab Aliquibus etiam pro vero, unicus noster habeatur. Principio anni 1733. Joseph Massarius ab Altare, gravissimo capitis dolore correptus fuit; qui, etsi intermittens, eum tamen, velut lancea, quae ab aure dextra per caput trajecta, ad sinistram exiret, acerbissimè cruciabat. Jam dextrae auris surditas accesserat: Parum somni per noctes capiebat; atque idemtidem, aut febre, aut magno calore laborabat. Permulta jam remedia, irrita omnia & vana, postquam sinè ullo doloris levamine adhibita fuerunt; Tandem, Junio mense, repetitis vicibus aqua Reginae Ungariae in dextram aurem stillata est: Cum paulo post, cerumen auris, in massam veluti coactam, repentè erupit. Hoc vermis, bombycis formâ praeditus, minoris transversi digiti longitudine, atque majoris frumenti grani magnitudine, involvebatur. Verme prodito, statim omnes auris & capitis dolores cessaverunt: Atque aeger convaluit. Nunc verò, morbi quo hic vexabatur,

Nostra auricularis vermis Historia.

Fig. XX.

tur, vermē hunc fuiſſe causam, extra dubitationis alcam poſitum eſſe credimus. Quod verò hîc notandum eſſet, illud praeſertim videtur; aurium ceruminis amarore, qui maximus eſt, vermem illum nullatenus fuiſſe necatum. Porrò, ſi id Superi ſint conceſſuri, quemadmodum Clariſs. *Redi* jam obſervavit; & nos oſtendere conabimur, ex practicis a nobis factis animadverſionibus nullatenus inferendum eſſe, quod vulgo putatur, iis videlicet, quae amara ſunt, vermes interimi aut laedi.

Vermes ab Hominum naribus prodeuntes.

Vermes in Ovibus, Bobus, Cervis aliisq; majoribus brutis, narium ſinus non rarò incolere, vel Indis & Arabibus Medicis priſcâ aetate compertum fuit: Hos verò ex ovis, quae muſcae quaedam in illarum antris deponant oriri, ut in nymphas aliquando vertantur, & volatilem patris naturam ineant, Recentiores docuere. Quilibet qui *rhinarios* ſeu *naſales* lumbricos in hominibus factos referat, diversâ quidem formâ ac magnitudine exhibet. Ita duos illos narium vermes, quos *inſtar digiti*, *villoſos* inſuper, ſeu *eruci-formes*, perfunctoriè dixerat Fernelius (*i*), cornutos indè, tum verò ſolúm inſtar *ſemidigiti* Paraeus delineavit (*l*). Gulielmus Fabritius minores

(i) *Pathol. lib.* 5. *Cap.* 7.
(l) *Edit. Gall. lib.* 20. *Cap.* 3.

minores, neque cornutos, memorat (*m*) Platerus ſalamandrae inſtar, multisque pedibus conſtantes depromit (*n*) Alibi narium vermis, dimidium digitum longus, bombycem repraeſentat (*o*) Alibi cum pedib; quatuor digitos aequat(*) Kerkringius centipedem vermem depingit (*p*). Littrius verò plusquam centipedem exponit (*q*), videlicet 112. pedibus inſtructum animal, ſex pollices longum, duas lineas latum, unius & ſemis craſſum, colore dilutè rufum, annularibus ſquammis, excepto capite, opertum: In cujus capite duo oculi erant, totidemque cornua, ut & forſiculus, duobus ramis conſtans: Os quoque inter iſtos ramos ſitum: Cauda duobus aculeis, formâ paribus, longitudine & craſſitie pedes ſuperantibus, armata. Vermis ejectus & vitreo vaſe incluſus poſt horas 18. adhuc vivebat; nec niſi affuſo vini ſpiritu poſt duas aut tres horas mortuus eſt. Majorem alium, ſeu palmo longiorem, *naſalem* vermem Benivenius attulerat (*r*). Et aliàs dimidiam ferè ulnam

(m) *Cent.* 1. *Obſer.* 8.
(n) *Obſervat.*
(o) *Miſc. Cur. ann.* 1671. *Obſ.* 147.
(*) *Trincavell. lib.* 9. *Cap.* 11. *de rat. cur.* &c.
(p) *Obſ.* 43.
(q) *Comment. Reg. Pariſ. Acad. ann.* 1708.
(r) *De abditis Morbor. cauſ. Cap.* 100.

nam aequans *Rhinarius* vermis exponitur (*s*) Vidit quoque Amatus (*t*) Vidit Borellus (*u*) Alii demum ab Aliis, aliarumque formarum & magnitudinum, narium incolae vermes, & ex iis diversa, patientes malè habentia, symptomata describuntur. In hac ergo *Rhinariorum* humanorum vermium disquisitione, vel si sinè fraude descripti omnes sint, quid hactenus bonae solidaeque historiae conspicimus? Si enim externorum patrum, ova in *nasariis* sinibus deponentium, filii censendi hi vermes sint, ubi nam terrarum orbis, tot varias & invisas hactenus progenies inventuri, & quibus modis in has caveas allaturi erimus? Si verò internorum sunt patrum; patres isti ubinam humani corporis degunt? Rursus quibus viis ad nares pervenient? Et cum vermes filii, patrum magnitudinem naturaliter assequantur, & quae ista sit, aliquando ostendant; quo in vase partium, quo in viscere vermes ita conspicui, conspecti unquam sunt? Tum veró vel si hae solvi difficultates possent, quae, amabo, sedes in narium caveis, grandioribus illis hospitandis vermibus, aptae essent; etsi capitis ossium sinus

(s) *Misc. Cur. dec.* 3. *ann.* 3. *Obs.* 146.
(t) *Centur.* 7. *Curat.* 63.
(u) *Obs. Med. Cent.* 3. *Obs.* 45.

ſinus, *frontales*, maxillares, *ſphenoidaei* atqueethmoidaei, in communem aditum advocentur? Sed multi fortè, praeſertim qui de teretum genere judicandi ſunt, é naribus lumbrici prodeunt, qui ab inteſtinis & ſtomacho per oeſophagum & fauces, in *naſales* caveas aſcendere & ingredi, magis minúsve commorari, inductâque morá alterare atque alterari, hinc egredi per externas nares potuerint. Noſtra interea, quam hîc breviter conſcribere lubet, Hiſtoria, cum narium proprios, ut puto, neque ab alimentorum canali aſcenſos vermes exhibeat (niſi forſan aſcarides prodigiosè adauctos dicere velimus) neque tam vaſtos, ut in iis locis contineri non potuerint, neque formâ a frequentioribus humanis aliis tam diſſitos; ſalebroſa minùs eſſe videtur. Joſeph *Bertò* Albonenſis, permultis jam annis cephalalgiâ periodicâ, orisque foetore detinebatur. Tandem ann. 1717. cum annis jam natus quinquaginta eſſet, idem dolor adeo auctus erat, ut non tantúm ſebrem acutam, verum etiam phrenitidem produceret. Cumque ſanguinis miſſio, jam jam inſtituenda eſſet; corrupta, foetens & ſanguine immiſta materies, è naribus extemplò fluens, factam eſſe ſuppurationem aperuit. Ut nares fortiter expurgarentur

Singularis noſtra pluriũ vermium, ex hominis naribus fauſtè exeuntium, Hiſtoria.

purgarentur, *Nicotianus* pulvis iisdem est inditus: Quo quidem excitatis sternutationibus, res ex voto successit. Nam repetitâ earum vi, non tantùm purulenta substantia, sed simul etiam quatuor vermes
Fig. XXIII. ejecti sunt; qui magnitudine dimidium pinei nuclei, longitudine verò hunc integrum aequabant; pedibus totoque corpore, bombycibus similes. Vermis a Tulpio memoratus (*x*), qui ex ancillae naribus prorumpens, acerbum capitis atque diuturnum dolorem, ad remedia quaelibet reluctantem, illico sustulit; cum ab eodem Scriptore assimilatus sit suo illi vermiculo (*y*), per urinam excreto, ad nostros quoque non solúm *urinales* (*z*); sed ad eosdem insuper, quos nunc attulimus, non parum accedit. Porró cum *admirandi illius vermis per nares egressi discursum* ab Angelino & Alsario a Cruce editum (*a*) non viderim, non est in praesens, quód cū nostris hoc etiam animal comparari liceat. Sed haec nostra narium insecta, viventia adhuc ab exitu, bombycum ad instar, hinc indè se conferebant. Hujusmodi

(x) *Obs. Med. lib. IV. Cap. XII.*
(y) *Ibid. lib. II. Cap. XLII. Tab. VII. Fig. III.*
(z) *Fig. nostrae XVII.*
(a) *Ravennae* 1610.

modi eventus plurimum admirationis attulit: Sed ex iis, quae secuta sunt, magis magisque aucta est admiratio. Nam *errhinis* medicamentis aliis praescriptis, quibus continuò stimulatio fieret; XXXX dierum spatio tanta horumce vivorum vermium multitudo ab aegrotantis naribus erupit; ut centum septuaginta & quatuor enumerati sint. Quà verò proportione hospites discedebant, febris declinare, dolor capitis dissolvi, & phrenitis mitescere observabatur: Donec post istos completos dies, aeger ab omni morbo, atque ab ipso oris foetore liberatus est. At infesta pullities quasdam speciei reliquias, fortassis adhuc in hujus Viri naribus reliquerat. Quamobrem tribus post annis iisdem ferè, sed mitioribus *symptomatibus* correptus, *errhinorum* ope quindecim denuò vermes ejusdem omninò naturae, atque primi fuerant, naribus emisit: Iterumque sanitati restitutus, septem adhuc annis vitam degit, ab omni adversa valetudine solutus: Quousque acutâ febri sublatus fuit. Probabile est, non omnes illos vermes eodem tempore ex ovis suis fuisse exclusos; sed longo illo spatio, quo eorum excretiones partitè sunt praestitae, recéns natos, ut gradatim crescebant, gradatim quoque prodiisse: Satis enim loci

X non

non fuiſſet ad tantam familiam, aequè adultam, hoſpitandam. Haec de vermibus, qui per nares exeunt. Nunc veró inquirendum eſſet, undè nam tum iſti narium, tum ille ſuperiùs deſcriptus, auricularis vermis, originem ſuam traxerint; & quomodo in his *ſenſoriis* oriri & creſcere potuerint. Sed cum difficile ſit diſcernere, an ab externis animalibus ibi irreptis, ova depoſita fuerint; an haec ab aëre introducta; ex quibus deindè vermiculi excluſi, ſuorumque hoſpitum damno enutriti, & tandem eliminati fuerint; an potiùs ova, ex quibus ortum duxiſſe putamus, cum alimentis & potulentis deglutita, tamdiù per canales ab humoribus in circulum acta ſint, donec ad determinata haec loca pervenerint, ibiq; congruis ſuccis ac calore fota, atque animalia excluſa, ad uſque ejectionis tempus permanſerint; nihil omninò nos de hac re ſtatuentes, ad eos, qui in caeteris externorum ſenſuum organis, aut eorum caveis, tanquam corporis oſtiis, hoſpitantur vermes, brevi diſquiſitione progrediamur.

Oculorum vermes. Vermium oculorum Hiſtoria hactenus quidem non parum obſcura eſt;, Ex an-
„ gulo majori oculi puellae trimae rectè
„ valentis, momento vivum exiiſſe ver-
mem

„ mem semi palmaris longitudinis, co-
„ loris albi, crassitudinis lineae, nullâ
„ noxâ a puella perceptâ, & foramine
„ nullo evidente relicto „ Amatus testatur
Lusitanus (*b*) Sed an oculi habitator proprius, an potiùs peregrinus fuerit, incertum. „ Vermis iste (appositè addit Clericus (*c*)) ex intestinis ascendens, per
„ ventriculum, os & nares, nasalemque
„ ductum, fortè obrepserat, atque per
„ lacrymalia puncta, ad eum oculi an-
„ gulum sita, tandem eruperat „. Pechlinus (*d*) optaret, oculorum inflammationes, praesertim longas & valdè pruriginosas, deberi minutulis insensibilibusque vermiculis: Narratque, ex quodam in simili morbo imposito remedio, *evocata animalcula fuisse, minutarum lendium instar, prurigine statim deficiente: At cùm tenella essent ista corpuscula, nudisque oculis vix distinguenda, ad nitidiorem lucem umbras eorum, ad microscopium verò figuras ipsas & lineamenta, quamvis confusiùs, apparuisse.* Postea de horum corporum vita dubitat. Historia illa vermiculi, ex aegri, ophtalmiâ laborantis, palpebra extracti, (*e*) ne-

X 2 que

(b) *Cent.* 7. *Curat.* 63.
(c) *Hist. lat. lumbr. Cap. XIII.*
(d) *Lib.* 2. *Observat.* 35.
(e) *Miscel. Cur. ann.* 1671. *Obs.* 78.

que proprium oculi fuiſſe vermem adamuſſim oſtendit. Recentior Hiſtoria Lanzoni (*f*) „ Puelli poſt variolas, contumaci dextri oculi ophtalmia ita laborantis, ut de viſu illius partis dubitaretur; ſubindè tumoris in oculi laborantis angulo apparentis, exitusque ex hoc ſuppurato apertoque, rubri vermis cū pauco purè „ fortè abſceſſus vermem, qui ideo ubique corporis inveniri poteſt, non proprium oculi deſcribit. Qui minimi vermes, ſeu ſyrones, ad membranam oculi adnatam infixi, & ab amico Chirurgo viſi, a Mouffeto referuntur, (*g*) prae caeteris memoratis proprii quidem oculorum dicendi eſſent, ſi plena huic Chirurgo haberi fides poſſet.

Oris, ſeu dentium vermes. Sed oris vermes praeclariùs viſi ſunt: Hique duplicis generis; ſeu qui in propriis dentium caveis, eorumve carioſa ſubſtantia; & qui extra dentes, in quadam mollioris limi, aut etiam ſolidioris *tartari*, aut calcis ſpecie iisdem circumpoſita haerenteque, nidulantur. Primi enim, praeterquam ex aliis Hiſtoriis & praecipuè Curioſorum Germ., ab Oligero Jacobaeo (*h*)

Pechlino

(f) *Ibidem Cent. V. ann.* 1717. *fol.* 126.
(g) *In Inſect. Theatr.*
(h) *Act. Hafn. vol.* 5. *Obſ.* 108.

Pechlino (*i*) Schultzio (*l*) Aliisque traduntur; tum verò suis singularibus formis designantur. Et quo pacto haec viventia, suffitu hyoscyami aliorumve simplicium eorumve seminum aliisve praesidiis, é dentium latebris eruantur, Nonnulli edocent: Quod Alii fucum esse ostendunt. Internos dentium vermes, quamquam sub diversis nominibus, memorant quoque Jonstonus (*m*) & Mouffetus (*n*). Sed qui vermes dentibus externi sunt, seu in externis eorum sordibus geniti; & sensim eosdem, sinè sensili plerumque molestia, exedunt & absumunt; orique insuper foetorem, quibuscunque aetatibus ita frequentem, qui ventriculorum halitibus referri ut plurimùm solet, inducere consuescunt, a Leeuvvenhoekio (*o*) & Andrio (*p*) diligenter describuntur; suisque insuper formis delineantur. Intereà hae formae ab iis Auctoribus traditae, non omnino conveniunt. Revera horumce vermium species quamplurimae variaeque sunt. Nunc organorum, quae ad externos capitis sen-

(i) *Decad. Cur.* 1. *Ann.* 9. *&* 10. *Obs.* 24.
(l) *Ibidem ann.* 10. *Obs.* 187.
(m) *Hist. nat. de insect. lib.* 3. *Cap.* 2.
(n) *Insect. Theatr. lib.* 2. *Cap.* 24.
(o) *Arcan. Nat. detect. pag.* 42. *& seq.*
(p) *De la Gen. des vers Cap.* 3.

ſus pertinent, eorumve cavitatum, delibatis vermibus; diffuſioris ſenſus organi, ſeu cutis vermes ſupereſſent recenſendi. Sed quoniam ii, vel nonniſi per *opticam* lentem ſunt ſenſiles, ut ſcabioſi; vel ſi ſenſiles, ut phtiriaſis pediculi, hi neque nudis oculis videri poſſunt, donec cuti immerſi jacent, ſed ſolùm quum ab eadem ſunt egreſſi; idcircò hos ad peculiarem claſſem, inferiús adiiciendam, ſervamus. Quare ad aliorum liminum corporis, ſeu ad *renales* atque *urinales* vermes, hîc tranſitum facimus.

Urinales vermes Quamquam qui minguntur vermes, atque ideo *urinarii* appellantur, a veſica deſcendant; plerumque tamen ab altioribus urinalibus viſceribus ſunt repetendi. *Renales* vermes in Canibus inveniri, vulgatum eſt. Siquidem ſaepè in alterutro Canis rene vermis quidam longiſſimus, totam *renalem* ſubſtantiam occupans, abſq; ullo plerumque viventis incommodo latitare ſolet. In hominibus autem, an vermes eadem interdum viſcera, ideſt renes propriè incolant, quaeri poteſt. Inter Scriptores Clariſſimus Alghiſius vermes quoſdam deſcribit, quos *renales* appellat. Nephriticum enim hominem refert, poſt habitum vellicatum in lumbis, cum urina reddidiſſe quatuor vermiculos, figurâ & magnitu-

dine,

dine frumentacea grana aemulantes (*q*): Nos quoque ejuſdem magnitudinis & formae vermes cum urina excretos vidimus. *Fig. XVI.* An propterea *renales* ſunt nuncupandi? Eorum magnitudo talis profectò eſt, ut dubitandum admodum ſit, an per *renalia* vaſa liberè cum liquoribus meare, & ſecernentia organa ſubire potuerint: An fortè in pelvi renum enutrita auctaque, atq; hinc per *uretheres* ad veſicam uſque delapſa. Quidquid ſit, nihil de hac pronunciamus; contenti ſolùm, hos vermes inter *urinarios* recenſere. Nec tantúm vermes hos, ſed alios etiam diverſae figurae & magnitudinis aliquandò a ſene, unà cũ *urinario* lotio excretos, inſpicere datum fuit. Nempe vermes erant oblongi, inſtar ma- *Fig. XVII.* jorum aſcaridum, nigro capite, muniti duobus cornibus, ſex petiolis ad ſuperiorem partem; atque minutiſſimis geniculis inſtructi: Qui deindè in acutiſſimam caudam deſinebant. Immò & aliàs, minores vidimus, non iis abſimiles, quos deſcribit Tulpius (*r*) his verbis „ Mulier annorum „ quinquaginta, infeſtata crebriùs partim „ a pituita, ex capite deſtillante; partim *Fig. XVIII.* „ verò ab infatigabili lumborum cruciatu; excrevit ſub finẽ morbi ſingulis die-

(q) *Vid. Valliſn. nov. Oſſerv. &c. Trat. VI.*
(r) *Obſer. Med. lib. II. Cap. LI.*

„ bus, vel quinos, vel senos vermiculos, „ colore ut albos, sic neque formâ dissimiles illis, quos profert caseus putris. „ fuere tamen duo inter illos ita magni, „ ut aequarint longitudine *digiti articulum* „ Nos verò minores illos, non verò maximos istos, aspeximus. Idem Auctor alios mictos vermes in suo Medicarum Observationum Opere refert, qui a descriptis differunt: Nam eximium Patriae suae Medicum, post febrem tertianam, intra *octiduum* eminxisse narrat (*s*) undeviginti vermiculos sinè dolore, & sinè urinae difficultate: Quorum figuram, ut Fig. XIX. singularem, in nostris tabulis pariter retulimus, valdè analogam (ut inquit idem Tulpius) „ illi vermiculo, quem Vir di- „ ligens Ambrosius Paraeus (*t*) asserit „ olim excretum a solertissimo Hippocra- „ tis Interprete Ludovico Dureto, ex dif- „ ficili morbo convalescente „ Quamplurimi hîc micti vermes addendi essent, instar bruchorum, locustarum, hirudinum aut aliorum insectorum, quorum aliqui diu adhuc vixerunt; Qui a Celeberrimis Medicinae Scriptoribus traditi sunt: Inter quos admiratione digna videntur, quae ab immortali Viro Friderico

(s) *Idem ibidem Cap. L.*
(t) *Lib. XIX. Cap. III.*

rico Ruyschio (*u*) de nympharum, in muscas deindè conversarum *mictu* observata fuerunt: Item quae ab Albrecto (*x*) Edmondo de Meara (*y*) Ronsäeo (*z*), & superiùs laudato Nicolao Tulpio de verme tereti (*a*) & a Johanne Rhodio (*b*) de taenia viva emicta narrantur; & ab Hannemano, Langelotto, Pechlino &c. Vermiculos alatos, post variolas cum urina excretos refert Hagendornius (*c*) In lotiis eorum, qui venereo morbo infecti sunt, multoties innatare animalcula formicis affinia, aut iis praesertim, quae aestivis mensibus in aqua coelesti volutari conspiciuntur, ajunt Lemnius (*d*) & Wierus (*e*) Plura quoque animantium genera per urinam ejecta vid. apud Schenckium (*f*). Quae igitur omnia cum quilibet, si Auctores adeat, commodè perlegere possit, hîc omninò rescribere superfluum

(u) *Thesaur. Anat. I. pag. LIV.*
(x) *Miscel. Curios. German. dec. II. ann. I.*
(y) *Ibidem.*
(z) *Epist. Med.*
(a) *Cit. loc. Cap. XLIX.*
(b) *Cent. III. Observat. XXXVI.*
(c) *Ephem. Cur. ann. 2. n. 28.*
(d) *Lib. 2. Cap. 40. de occult. nat. mirac.*
(e) *Lib. 3. Cap. 15. de praest. Daem.*
(f) *Obs. lib. 3. §. Monstrosa & varia &c.*

perfluum ducimus. Ita cornifer renalis vermis a Dalechampio, Vidioque juniore visus, apud hunc legi poterit (*g*). Ita etiam vermes per urinam dejecti in Anglicis transactionibus (*h*) ab Entio, Milfordio Aliisque describuntur: (Quemadmodum in iisdem quoque Commentariis a Jessopio & Listero animalia varia ab infantibus aut adultis vomitu excreta; & a Dentio, *Levvis* Aliisque, in variis corporis partibus immorata.) Ita quoque a Clerico (*i*) vermes cum urina excreti, ascaridibus, erucis, millepedis, aut capillis, immò dracunculis similes, ex Rondeletii, Cardani, Argenterii Aliorumque relatibus memorantur. Atque urinalibus insectis refertissima sunt Curios. Commentaria (*l*). Juvet hîc, nobilissimi naturae rerum Indagatoris, *renalibus* vermibus accomodare locum, qui aliis omnibus extraordinariis humanis vermibus non secùs referri debet. Cl. enim Vallisnerius in prodromo humanae *entomalogiae*, seu insectorum in homine ordinariorum atque

(g) *Lib.* 10. *Cap.* 14. *de curat. membr.*

(h) *In Collect. transact. Reg. Soc. Angl. ex Lovvthorpio Tom. III. Cap. IV.*

(i) *Hist. lat. lumbr. Cap. XIII.*

(l) *Vid. Cent. II ann.* 1712. *Obs. CLXX. & in Append. fol.* 202.

atque extraneorum Historiae, (*m*) loquens de animalibus homini extraneis, scribit „ „ Potere anco ingojarsi le loro uova nel „ mangiar carni di questi animali, o in „ altra maniera, come latti, e simili, nel „ qual modo anche possono nascere, le „ quali cose però tutte succedono di ra- „ ro, e si leggono solamente appresso gli „ Autori, che contano maraviglie „ Sed quod raro contingit, solet tamen contingere: Non ideò inter admirabiles res reponendum esse videtur. Quod verò dolendum est: Haec tam diu elaborata, & toties ab eodem Auctore Aliisque pollicita humana *entomalogia*, quod sciam, in publico adhuc non est.

Vaginae atque uteri muliebres vermes.

Non abs re fuerit, hîc de vermiculis quibusdam mentionem facere, qui Mulierum pudenda, gravi interdum prurigine afficere, ibique adhaerere solent. Isti vermiculi, aequè ac illi, qui ano adhaerent, Hippocrati jam innotuerant, & *ascarides* pudendornm muliebrium nuncupati sunt; & idem Divinus Senex (*n*) remedium jam tum praescripsit, *quo*, ut ait, *exeunt & moriuntur*. Horum quoque vermiculorum Beckerus singularem observationem

(m) *Galleria di Minerva* 1708. *Tom.* 6. *fol.* 114.

(n) *Lib. II. de Morb. muliebr.*

ſemper revera ſint; ſeu in foecundo ipſo atque, ut ajunt, *prolifico* marium ſemine, ſaniſque & vegetae aetatis hominibus, non raro deſiderentur; ita nec propriè naturales dicendi eſſent. Nec benè intelligi videtur, quid ſuis viribus humanae naturae contribuere iſtiusmodi hoſpites, niſi ad coitus ſtimulum, valeant. Si quis enim obiter de *ſpermaticorum* horumce vermiculorũ uſu petas, haec habeto. Inſecta haec, cum adiunt, ut ſemper in ſemine irrequieta exiliunt, & ſummè agilia ac perniciſſima ſunt, incitamento eſſe, coeundique ſeu ſemen eijciendi apetentiam, ſeu naturalem *orgaſmum*, ciere videntur. Et ſanè hic *orgaſmus*, ſingularis quaedam pruriginis ſpecies eſſe percipitur: Et in femellis, quae catuliunt, lac visque caſtratis atque ſpadonibus, proſtratarum ucci iis quoque vermiculis ſcatere deprehenſi ſunt. In hominibus, quorum ſemini deficere hos vermes viſum eſt, vix ulla in deſiderium veneris proclivitas erat. Ita antè pubertatis annos *ſpermatica* haec inſecta plerumque deſiderari obſervantur; & in iis ita vacuis juvenculis, nulla hactenus libidinis prurigo eſt. Senili aetate haec animantia plerumque abſumta ſunt: Abſumptis, ſenes, vel priús impensè ſalaces, mulierum amores promtè obliviſcuntur; iisque virilitatis inſtrumentorum,

vivis

vivis sublatis stimulis, haec vix ac ne vix quidem moventur. In iis ergo, qui venere naturaliter aestuantes, aliquandiù postea frigidi, indè rursus accensi atque libidinosi fieri videntur, putandum est, *spermaticos* vermiculos, ob specialem in ipsis grassatam *epidemicam* cladem, (quae & caeteris insectorum generibus non infrequens est) aliquando defecisse: Alios deinceps ex primorum germinibus fuisse renatos. Nonnulli caeterúm, qui advertere putant, hos vermes aequè adesse aut abesse in iis hominibus, qui aequè vegeti muliebribusque negotiis apti accomodique esse viderentur, illos aceti vermibus comparant: Qui nempe nec semper in aceto sunt, nec si adsint aut deficiant, acetum ideò praestantius aut infirmius esse solet. Sed ut é diverticulo in viam redeamus: Dū in iis naturalibus, ut dicunt, insectis sollicitè fusèque versantur Hartsoekerus, Leeuvvenhoëkius, [qui putat *spermaticos* vermes esse duorum generum „ reminiscor me in „ semine masculino hominis, & etiam „ canis, vidisse duorum generum animal- „ cula: Hoc videns, mihi imaginabar, „ alterum genus esse masculinum, alte- „ rum femininum [*y*] „ Th. insuper Bartholinus junior, *Geoffroy*, Dalempazius, Hom-

(y) *Arcan. nat. fol.* nobis 30.

Hombergius, Gardenius, Listerus, Elias Camerarius, Leibnitius, Keilius, Billingerus, Gimma, Nigrisolius, Abbas de Comitibus, Lancisius, Vallisnerius, Andrius totque Alii: Nobis in praesens *spermatici* illi Virorum vermes memorandi incumberent, qui superiùs laudatis mulierum *spermaticis*, maximèque earum *ascaridibus* analogi, morbosi sint; saltem mordacitate hominibus incommodi. Et sanè hominem unum aut alterum novimus, qui sani caeterúm, emisso semine, gravissimum aliquandiú pruritum per totum *urethrae* tractum sentiebant. Locum ipse nec habui, nec quaesivi, speculandi, an fortè eorum semen scateret vermiculis, qui indè a coitu commoti excitatique, partimque ad *urethram*, ejaculato semine, superstites & haerentes, eam mordicarent & foderent. Optandum esset interea, Cl. Paullini Historiam exactiorem fuisse,, Honesta femina [ait iste [z]] to-
,, ties quoties, ex debito conjugali Ma-
,, ritum admittebat, sentiebat insignem
,, colli *uterini* pruritum, subsequente mox
,, crebriori mictione. Urinam in vitro
,, aliquando collectam ipsam examinans,
,, varios vidit vermiculos candidissimos, ru-

(z) *Miscell. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 5. *Append.* & *Cleric. Hist. lat. lumbr. Cap.* XIII.

„ rubris tamen rostellis, partim natantes „ in ea, partim lateribus vitri adhaeren- „ tes. Excepit alio die ipsum Conjugis „ sui semen, & ecce? eosdem in eo lon- „ gè copiosiores, quos etiam Cortnum- „ mio ostendit. Adhibitis autem, quae „ methodus dictabat & ratio, aptis re- „ mediis, expulsisque innumeris vermicu- „ lis, cum urina Viri, omnis sublatus „ est quaestus „ Paullinus etenim, an eadem quoque prurigo Virum, in ipso trajectu seminis afficeret, explorare debuisset: Nisi hîc fortè ob totos vermiculos, cum semine in feminam traductos, exemtus hâc molestiâ fuisset. Sed si Paullini observatio imperfecta, nostrae quoque non minùs deficere, videri possent: Cum nobis satis inquirere non licuerit, an in coeuntibus, mordacemque genituram excipientibus feminis nostris, eadem aut similis, quae in Viris, prurigo fieret. Quoquomodo sit; neque virilibus *spermaticis* canalibus atque liquoribus, sua deesse extranea insecta, verisimile est. Equidem extraneum erat, *spermaticum* illud animal, quod a Plutarco memoratur (*a*) „ Hospi- „ tem nostrum novimus, Athenis, Phe- „ bum, cum multo semine ejecisse be- „ stiolam asperam, multis pedibus cele-

(a) *Symposiacon lib.* 8. *quaest.* 9.

„ riter ambulantem „ (quamquam fucum suſpicetur Clericus (*b*)). Ita Myſſenbrucchium in ſemine humano multorum generum *animalcula* vidiſſe, ex Med. Hafnienſibus Commentariis elicimus (*c*) Sed neque Plutarcus, neque Myſſenbrucchius addiderunt, beſtiolam illam, aut iſta multorum generum *animalcula*, quidquam hoſpitibus ſuis moleſta extitiſſe.

Pulmonum vermes.

Sed nocua humanorum Pulmonum inſecta, patentiora ſunt, ac diligentiùs obſervata. Celebris enim Viri Hiſtoria vermium, acutum in pulmone morbum foventium, ſalutarique demum ſputo rejectorum, litteris mandata eſt. Cl. Vallisnerius in ruſtico verâ pleuritide laborante, vermiculos innumeros, ſeptimâ morbi die ſanguini immiſtos, ſimulque per ſputum rejectos, ſolerter inſpexit: Inſtar albentium filorum erant, ſe moventes, longitudinis ad unguis dimidium: Ab hac die ad uſque vigeſimam totum ſputis expulſum ſanguinem, vivi adhuc, replere vermes proſſequebantur: Quâ tandem die mortuos aliquando eſſe obſervabat Vir Cl. Paulo poſt infirmus convaluit. Quomodo geniti hi vermes fuerint, ſuo vermium humani corporis edendo tráctatu explicare pollicetur

(b) *Cit. loc.*

(c) *Volum.* 5. *Obſ.* 7.

...iempe si in bilio-
...no communican-
...possunt inter ver-
... quibus exitus,
...ecus verò, si in
... non apertè cum
...unicante, com-
...plerique hepatis
...es sint; hos ideo
... corporis mor-
... partes incolunt,
... corpore via esse
...iis ipsis alteram
...tra cibarium ca-
...n, quam polliciti

...istiusmodi classis
... tantùm in hepa-
...ne, pericardio,
..., per aliquas pro-
...ommunicantibus,
..., quàm breviori-
...ossequentes; pri-
...n ovium, boum,
...umque brutorum,
...sis, sanguineis aut
...minoribus, aut in-
... substantia, vermes
...os esse. Albucasin,
...um, Campolon-
... gum

Humani vermes in iis partibus, e quibus exitus esse non videtur.

Hepatici vermes.

henditur, non tanta ſit. Pulmonis ſubſtantia impensé ſolùm arida atque exſiccata fuerat: Neque aliter laeſa: Probabiliter a lubricis atque irrorantibus harumce glandularum ſolitis ſuccis, per incolarum vermium incubitum & nutricatum abſumptis atque impeditis. De nova iſtiusmodi obſervatione gratulabar mihi. Namque frequenter *bronchiales* has glandulas, obſtructas, contractas, duras, aridas, immò ſcirrhoſas, calloſas, calculoſas, ſuppuratas, corruptas, atque ita variorum pneumonicorum morborum altrices; nunquam verò ad illum uſque diem verminoſas perſpexeram. Porrò, cum ab iis glandulis, quae pulmoneis ſeu *trachealibus bronchiis*, ad omnes eorum diviſiones, exteriùs accumbunt, nulla hactenus detecta fuerint producta excernentia vaſa, in harum fiſtularum caveas, ſecretos a ſanguine roriferos latices effundentia (quamquam effundi, & fortè per inſenſiles poros exſudare in illas hos latices neceſſarium ſit) Hi igitur glanduloſi pulmonum vermes potiús cum aliis illis humani corporis morbidis vermibus recenſendi eſſent, qui é loco, quem ſervant, nullam habere videntur viam, quâ exeant, ex quo ab ovis excluſi ſunt: Aut potiús mediae conditionis vermibus adſcribendi; velut eſſe

hepatici

„ la, poſtquam lanienae ovium ſaepè ſaepiús ex profeſſo inſtitutae interfuiſſem, & „ quidem ultimo, inſigni multitudine, „ hoc anno (1698) 13. Martii, quemadmodum, eodem quoque tempore in felino hepate aliud breviusculorum denſorumque vermium genus. Ubi frigeſcere incipiunt, atque ita motu deſtituuntur viſibili, recuperant eumdem manu caleſcente incluſa leniter, aut, hepate tepidae immiſſo &c. „ Superiús eorum figuram cum ea piſcis ſoleae convenire dixerat. Nec tantúm haec videre inſecta contentus fuit; ſed minutiſſimam ac diligentem eorum Anatomen figuris aeneis exaravit. Celeberrimus Vir Franciſcus Redi, lumbricorum in ovillo jecore repertorum, & a Laniis Italicis *Biſciuole* vocatorum, hiſtoriam pariter deſcribit; eosque cucurbitae ſemini, vel potiús parvi myrthi folio ſimiles eſſe tradit. (*ſ*) Et Cl. Vallisnerius (*t*) „ In ovium, „ *inquit*, vervecum, quandoque & Vaccarum, Vitulorum, Cervorum, Damarum, Felium & aliorum brutorum, „ Hominumque ipſorum jecore vermes „ inveniuntur, qui in ſolis canalibus bili

 ſepa-

(ſ) *Eſperienz. int. agl' inſetti.*

(t) *Lib. dell' origin. de' ver. &c. a Cl. Clerico lat. verſ. pag.* 94.

„ ſeparandae, ſeu expurgandae deſtinatis „ degunt &c. „ Igitur animalia haec, quae a laudat. Vallisn. cucurbitinorum genus quodpiam (*u*) & a Clerico pariter cucurbitini in ovium jecinoribus habitantes, aliàs, nuncupantur, non tantúm in brutorum, ſed etiam in hominum hepate vitam ducere, tum ex citato Vallisn. loco, tum etiam ex laudato Bidloo comprobatur. Nam Vir iſte Clariſſimus „ de- „ texi, ait (*x*), in, & circa humana je- „ cinora, diverſae *ab hiſce animalculis* „ (ideſt quae in ovillo hepate inveniun- „ tur) fabricae, &, ut tum temporis mi- „ hi videbatur, alterius figurae anima- „ lia, ſivè vermes &c. „ Quibus poſitis, facillimé apud eos, qui noſtra quandoque legent, ſatis fidei invenire poſſe arbitramur; ſi animalia, quae fortè in humano hepate a nobis inſpecta ſunt, hîc etiam referamus. Haec igitur *animalcula* non in bilioſis ſolúm jecoris poris, ſed in ipſa intima atque *parenchymatoſa*, ut dicunt, ſubſtantia invenimus; in qua ſepoſitas cellulas, tanquam diſtinctas cryptas & luſtra, ſibi excavaſſe videbantur. Non ita exigua haec animantia fuere, ut nudis etiam oculis facilè intueri non poſſent.

Fig. XXIV.

Vermes, in intima jecoris ſubſtantia a nobis reperti.

Eorum

(u) *In verſione Clerici p.* 108. *cit. Op. Cap.* 6.

(x) *Pag.* 119. *cit. Op. Clerici*.

Eorum color subviridis: Dorsum nonnihil concavum: Caput parvum & nigricans: Pedes minutissimi, & numero sex: Totius animalis ambitus ad rotundum accedens: Uno verbo, si colorem demas, non multum cimicibus absimiles. In Homine hi vermes visi sunt melancholico; qui prius gravi obstructione hepatis, longoque ictero prehensus, cachexiâ postmodum, lentâque febre ac diarrhoeâ absumebatur. Ita exemplo Bidloi, quâ ratione hepatici in ovibus vermes morborum, immò mortis causae esse queant, explicare satagentis, (y) Quilibet nostri quoque hujus hominis aerumnas ex memoratis vermibus aperire facilè poterit.

Cerebrosi vermes, seu propriè Cephalici.

Quod ad cerebri vermes attinet: Jam multa extant Scriptorum exempla. Singulare affert Joannes Fridericus *Khern* (*a*) Namque in Hospitali majori Patavii anno 1687., multis aliis Adstantibus, iisdemque Clarissimis Viris, vidisse quemdam testatur, qui ab infirmitate jam convaluerat, improvisâ morte correptum: In cujus cerebri medulla innumeri vermiculi inventi sunt, non absimiles illis, qui in caseo veteri reperiuntur. Haec histo-

ria

(y) *In cit. Op. Bidl. de anim. in ovill. hep. detectis.*

(a) *Miscel. Curios. Decur. 3. ann. 2. Obs. 53.*

ria eó majorem apud nos fidem invenit, quò magis accedit obſervationibus illis, quae in majori noſtro Taurinenſi S. Joannis Noſocomio habitae ſunt. Nam ejusdem Noſocomii Adſtans non ita pridem Medicus (*b*) hanc mihi Hiſtoriam ſaepiùs enarravit. „ Adoleſcens quidam annos natus 21 „ ineunte vere anni 1739., a quadam „ febricula convaluerat; cum noctu ſomniis agitatus a lecto decidit, laevoque „ ſupercilio paululum fracto, fit contuſio. „ Et ſtatim animo deſipit & deliramenta „ loquitur. Res in deterius ruunt: Diarrhoeâ corripitur. Multa ei remedia „ propinantur, revocantia, attemperantia, „ roborantia. At irritis omnibus medicamentis, ad tantam maciem redactus „ eſt, ut nihil ampliús, praeter cutem, „ oſſibus ſuperductam, ſupereſſe videretur. „ Amiſſis etiam paulatim externis interniſque ſenſibus, poſt dies 23. ab ictu, „ fato cedit. Ejus ſubindè cadaver coram „ pluribus Medicis, Studioſis ac Chirurgis ſectum fuit. Deductâ Calvariâ, cerebri moles minor viſa eſt, quàm ut „ ſufficeret, ad univerſam oſſium cavitatem occupandam. Siniſtrum cerebri „ emiſphaerium a naturali ſtatu aliquantulum recedebat. Atque versùs *choroi-*

Noſtra Cerebri vermium Hiſtoria.

deum

(b) *Ornatiſs. Rovaſchius noſter.*

„ *deum* implexum a ſiniſteriori latere materies quaedam reperta eſt, fluida quidem, ſed ſpiſſa & ſubfuſca; intra quam vermes reperti ſunt, illis perſimiles, qui in veteri caſeo quotidiè ſe conſpiciendos praebent. Horum tamen vermium, pars movebatur; & per ſaniem illam vario motu deſerebantur: Alii veró mortuorum inſtar jacebant. Quamplurimae deindé ejusdem cadaveris partes diligenter inciſae fuerunt. At nullibi vermes illis ſimiles, aut cujuscumque ſpeciei, inventi ſunt „. Nolim igitur, ii, qui, cerebri aliarumve humanarum aut brutorum, exteriùs non communicantium partium vermes, vel non adeſſe, vel ſi a nimiùm conſpicuis obſervationibus, adeſſe fateri compellantur, poſt hominum aut brutorum necem ſolùm exoriri aſſerunt, nolim, inquam, ii tam facilè propriis meditationibus fiderent. Namque in capra, quae antè hos ſex annos, ad *galaxiam* motusque cordis ac diaphragmatis oſtendenda, in noſtro Anatomico Theatro viva, juvenis, vegeta, recèns paſta, ut aſſolet, aperiebatur; expletis explendis, dum eâdem horâ curioſiores Studioſi in alias partes inquirere ſatagebant; inventus eſt in altera inguinalium glandularum vermis unus, rubellus,

Fig. XXV.

vivus

vivus, agilis, craſſitie mediocris aciculae, longitudine tertiae partis mediocris digiti, qui ſinuoſam ſibi ſedem in illius partis ſubſtantia velut terebraſſe videbatur. Certè hic vermis in loco erat, ut cerebrum eſt, extrinſecùs planè impervio. An illico poſt mortē caprae,ita natus adultusque praeſtitus? Quid igitur? Negandus erit? Polypis aliisve concretionibus recenſendus? Atqui nimii adhuc ſunt, Qui rem praeclarè viderunt. Ita aliqui quoque Diſcipulorum noſtrorum non ita pridem ruſticantes, in vervece, qui diebus aliquot immobili penduloque humi capite, tanquam veterno correptus languebat, mactato apertoque, binos vermes conſpiciebant & perluſtrabant, ejusdem formae, ſed diverſae magnitudinis, in medulloſa cerebri ſuperiori laterali ſubſtantia, versùs dextram aurem, eandem ſedem occupantes. Ambo vivi erant, rugati, villis, crocei velut coloris, tenuiſſimis obducti; bruchis illis arboreis omnino ſimiles, quas *Gatte* vernaculo ſermone dicimus. Majoris vermis longitudo tranſverſum aequabat pollicem, craſſities mediocrem ſcriptorium calamum: Minoris verò vermis dimenſiones dimidio minores erant. Porrò & iſtos vermes, poſt pecudis necem ſolummodo natos eſſe, quis dixerit? Tum

verò

verò quis unquam cogitasset, de cerebrosis iis vermibus Medicos plurimos admirari; Pastores autem ipsos haudquaquam admirari? Quippè quo momento Pastores ovem suam vident, recusare pabulum & tetram ac rigidam, pronoque capite immobilem, velut *catalepticam* fieri, cum id aliàs noverint, tutè affirmant, vervecem cerebrosis vermibus laborare: Nec certè postremam expectant tabem: Sed citò occidunt: Occisique caput, si quis exterus curiosusque morbi sedem rimari fortè cupiat, subitò aperiunt: In quo semper, plus minúsve, verminosam vivamque pullitiem ostendunt. Ad haec quadrans, cujusdam Pastoris narratio, a Christ. Paullino tradita, in Boneti Anatomia practica legi poterit (*c*). Qui in vivis apertis brutis, maximèque canibus, frequentissimè reperiuntur, nemini ampliús ignoti vermes, saepè longissimi, atque instar serpentum intorti, intimaeque alterutrius renis substantiae locum occupantes, profectó in mortuis canibus aut brutis aliis non nascuntur. Nonne *Thyroidaea* glandula, vermiculis plena, tum in canibus aliisque brutis, quae viva aperiantur; tum in ipso homine, frequenter deprehenditur? At, aequè ac cerebrum, haec pars adi-
tum

(c) *Pag.* 212.

tum ad exteriora nullum habet: Cum excernentia hujus glandulae vasa, vel cum aspera arteria, vel cum oesophago, vel cum alia quacumque parte communicantia, lyn eus nemo hactenus observaverit. Sed de iis nonnulla adhuc inferiùs habebimus.

Morbosi Pericardii, cordis, lienis atq pancreatis vermes.

In Hominis pericardio vermis unus, palmum longus, niger, pilosus, repertus; Baglivii observatio est, Cl. Andrio tradita
„ (*d*)Æger post acerbos ventriculi ac prae-
„ cordiorum cruciatus, toto corpore con-
„ vulsivos motus, facie pallidus viribus-
„ que deficiens, octies in hora diu passus
„ est „. Pericardiacos quoque vermes, eorumque symptomata memorât Schenckius (*e*) Forestus (*f*) Gabelchoverus (*g*) Paraeus (*h*) Petrus a Castro (*i*) Hartmannus (*l*) Lovverus (*m*) Immò in ipso corde ejusque caveis aut basi visorum vermium Historiae a Vidio Juniore (*n*) Th. Cornelio

(d) *De la Generation des vers, Chap.* 14.
(e) *Lib.* 2. *Obs.* 194.
(f) *Lib.* 21. *Obs.* 26.
(g) *Cent.* 3. *Curat.* 1.
(h) *Lib.* 1. *Cent.* 3.
(i) *Tract. de Pest. Neap. Rom. pag.* 137.
(l) *Prax. Chymiatr.*
(m) *Tract. de cord. pag.* 107.
(n) *De curat. Morb. lib. VII. Cap. I.*

lio (*o*) Andrio (*p*) Aliisque aperiuntur: Quas inter, celebres illae sunt, a Schenckio descriptae, *cardiaci lumbrici, albi, praeacuto rostello, eoque corneo praediti, Principis cujusdam cordi adhaerescentis*; & qui adhuc vivus educebatur: & alterius, vivi in subitaneâ morte sublato reperti: & vermiculorum in alio corde (*q*). Celebriores quoque essent, quae, visae aut lectae, de vermibus brutorum & hominum cardiacis a Paullino (*r*) cumulatim allatae sunt; Nisi humanam fidem, quod ad figuras & genera, nonnihil excedere viderentur. In liene viderunt vermes Gentilis, Albertus & Andrius: Qui ultimus adiicit,,, Tres vermes sat longos, eis-
,, que formâ similes, qui in intestinis
,, nascuntur, in liene hominis, quem
,, melancholicus affectus e medio sustu-
,, lerat a se inventos, quatuor propemo-
,, dum dies in aqua vixisse (*) Atqui aliquis fortasse cogitaret, descriptos hos teretes vermes, potiús ab intestino colo, lieni naturaliter adnato, & in hoc viscus per aliquem, aut citò inductum abscessum & corruptionem, aut fistulosum sensim ex- ca-

(o) *Progymn. de nutrit. prog.* 6.
(p) *Op. cit. Cap. IV.*
(q) *Obs. lib. II.* vermes cordis.
(r) *Ephem. Germ. Dec.* 2. *ann.* 6. *Obs.* 13.
(*) *Cit. Oper. Cap. III. Art. I.*

cavatum ſinum, perrupto, quàm aliundè, in hunc locum ceſſiſſe; tum verò ex iis viſcerum calamitatibus Hominem illum fuiſſe potiús extinctum, quàm a ſolo melancholico affectu: Qui nempe nonniſi per inductas viſcerum labes de medio tollit. Has ab inteſtino ad proximas partes lumbricorum migrationes modó illuſtrabimus. Pancreati ſi adſint vermes, neque ab inteſtinis illapſi ſint, ad hepaticorum conditionem referendos ducimus: Nam ſi in liberis hujus partis excernentibus canalibus ſtationes obtineant, ſanè per *pancreaticum* ductum, aditum ſibi ad inteſtina, ex iis quoque extra corpus, aperire valerent, inſtar vermium, bilioſis majoribus hepaticis vaſis inſidentium, & praecipuè primae claſſis extra inteſtini fiſtulam memoratorum: Non item qui in propria pancreatis ſubſtantia ſtabulentur: Veluti vermes alterius claſſis; aut qui intimis hepatis partibus infixi ſunt.

Meſenterii vermes.

In *meſenterio* ſaepè vermes inſpecti ſunt: Ii verò, vel minores, & caſei vermibus analogi; qui nonniſi ex praeviis hujuſce partis abſceſſibus, aut ſordidis ulceribus, inſtar aliorum ulcerum & abſceſſuum vermium, primúm producuntur: Vel majores, ſeu revera inteſtinorum teretes; qui pariter nonniſi per natos abſceſſus, aut

fiſtuloſa

fistulosa ulcera, aut aliter excavatos antea cuniculos, quâ datâ portâ, ex intestinorum cavea in hanc partem prosiliunt. Namque, rodere *intestinales* ordinarios, & teretes praecipuè vermes, atque ita exire ex ciborum fistula, & per ita erosa canalis latera, alioversum irrepere, ac sibi aditum facere, omnino commentitium videtur. Quibus enim, amabo, instrumentis animalia, omni ex parte cedentia, obtusa & mollia, sinè ullis dentibus, sinè ullis aculeis, sinè unguibus, sinè rostro, & sinè acutis aliis quibuscumque partibus, undequaque flaccida, imbellia & inertia, vix cum aliquo obscuro ore, ad unum extremum conivente, mordere, lacerare aut saltem contundere valebunt; seu rumpere, secare solidas partes, densis, multis & firmis tunicis instructas munitasque; aut strenuè exedere aut aliter confodere molientur? Volo, haec bruta interdum aegrotent: Volo aegrotantia agitentur, inquieta fiant: (namque in naturali sanoque eorum statu, qui certè non nisi cum otiis perpetuis, in intestinorum lustris latebrisque profundaque quiete est, Quis haec ita furere atque praevaricari somniaret?) sed quo nam impetu, quânam contorsionum aut arcuationum vi, quae semper infirmissima

Humani intestinorum ordinarii vermes, & praecipuè teretes, non rodunt.

 est,

eſt, torpida atque in perpetuum imbecilla animantia, ruinam tantam tantumque facinus aggredi apta eſſent? Quòd ſi teretes ordinarii vermes rodendo ſufficerent; cur, cum in omnibus penè, ſanis & non ſanis hominibus inexhauſtae eorumdem colluvies ſint, tam rari tamen harumce eroſionum, & per eroſas partes proſilientium vermium eventus habentur? Cur id roſionis genus in iis omnino conſpicuum non eſt, in quibus numeroſiores vermes, iidemque adultiores inſunt? Namque, qui ſani intereunt, ſeu ſtrangulati homines, tota quidem eorum inteſtina, pacificâ & innocuâ majorum vermium pullitie & familiâ ſaepiùs foetiſſima eſſe, publico in Theatro fere quotannis patefaciunt. Rectiùs igitur concludamus, *inteſtinales*, praecipuè ordinarios, vermes propriis nunquam conatibus, ſibi in vicinas partes a propriis ſedibus aperire vias; Sed jam apertis uti: Seu per inductas, quaecunque antecedens ſit cauſa, inteſtino nexiſque aut proximis partibus ſolutiones, atque indè communicantes ſinus, hos ab inteſtinorum fiſtula in *meſenterium*, in urinalem veſicam, in uterum aut ejus vaginam, in renes ipſos, in lienem aut alia viſcera, in ventris caveam, imò abruptis per praevias quoque affectiones

com-

communibus corporis tegumentis, per umbilicum, per inguina, per hypochondria, aut aliam ventris regionem, foras e toto corpore delabi. Porró, qui primas horum casuum origines in vivis & mortuis hominibus diligentiús speculatus est, rem sanè acu tetigit. Ita Alghisius (s) in septennni puero, sexdecim ingentes lumbricos teretes, cum ascaridum examine, per urethram excernente, rectum intestinum, admoto speculo, curiosè inspiciens, sinum tandem fistulosum invenit, ab intestino ad vesicam tendentem; undè etiam in intestinum urina scaturiebat „ Scitum a parentibus fuit, (adiicit „ Vir dexterrimus) puerum ante quatuor„ decim aut quindecim menses, variolis „ pessimae indolis gravissimè laborasse; „ atque ab eo morbo memoratos vermes „ reiicere coepisse: Unde intellexi, ab„ scessum quempiam variolarum tempore „ in recto intestino fuisse praestitum: Quo „ neglecto, neque, ut par erat, cura„ to, sentiendum est, continuâ affluen„ tis puris corrosione sensim excavatum „ fuisse sinum; demum ad usque vesicam „ penetrantem, & in fistulosum ulcus de„ generantem „. Habet quoque Wagne-

(s) *Vallisn. nuov. osservaz. int. all' Ovaja de vermi.*

rus (*t*) casum *intestinalium* vermium per penem exeuntium, *quo vivos egredientes propriâ manu aeger ex urethra sibi extraxerat*; ab intestino in vesicam, (ut indè in Cadavere visum est) per suppurationem, ulcerationem atque putrefactionem, aperto. Lanzonus (*u*) in Adolescente 14. ann. qui post continuam febrem, hinc dolorem ventris, postea tumorem, ad latera umbilici in abscessum vergentem, cum uberi putridae saniei atque ichoris effluxu, indèque ex hac parte teretium plurium vermium egressu, summé tandem emaciatus emoriebatur, aperto „ statim (*ait*) sublatum fuit dubium de loco, ubi lumrici fuerunt producti. Fuit enim notatus, & diligenter observatus canaliculus quidam membranosus, calami scriptorii magnitudinem, & latitudinem adaequans, ducens originem a tunica interna intestini ilei, usque ad peritonaeum protensus: Per quem vermes ab intestino transibant, & per abscessum apertum, exitum sibi met ipsis parabant „. Ita apud Salmuthum (*x*) „ lumbrici intestina revera „ incolentes, seu teretes, non nisi praevio „ ad hunc locum per quatuor annos dolore

(t) *Ephem. cur. ann.* 1712. *Obs.* CLXX.
(u) *Ibidem Obs.* XXXIX.
(x) *Cent.* 2. *Observ.* 61.

„ lore & cruciatu , poſtmodum verò ef-
„ fluente ſanie ex pueri umbilico prodie-
„ runt : indè ſaepiùs quoque egreſſi ſunt ,
„ poſtquam tumore ad umbilicum ſpontè
„ prius apparente , & pure aut ſanie ex-
„ tillante , novus illis ad hanc partem
„ aditus apertus fuerit „ . Idem aut ſimi-
„ le in Aliis obſervabant Zacutus (y) Do-
„ laeus (z) Reiſelius (a) Aliique non pauci . Idem in iis vermibus , qui ex inguinis fiſtuloſo ulcere aliquando excidere deprehenduntur : Vid. Tulpium (b) Idemque demum ſemper obſervaſſent Practici, ſi anatomicarum obſervationum accuratiús ſategiſſent : Clarè videlicet dilucidèque internoviſſent , nunquam teretes praecipué vermes per diſrupta inteſtina erumpere , niſi priús inductâ , per ſuppurantem aut aliter rodentem cauſſam , quae alia a vermibus ſit , ejuſdem tubi diſruptione . Agnoviſſent inſuper , dolores , qui rodentibus vermibus facilè imputantur , ab aliis cauſſis excitari . Ita Mackius, caſum enarrat puellae ex Bylero , a doloribus circa umbilicum conſumptae,atque a lumbricis ibidem rodi creditae ; in qua aper-

(y) *Prax admir. lib. 2. obſ.* 40.
(z) *Epiſt. ad Walſchmid.*
(a) *Miſc. cur. Dec.* 2. *Ann.* 7.
(b) *Obſerv. med. lib. III. Obſ. XII.*

ta, sectâque cute, peritonaeum, quo loco dolens fuerat, & a vermibus dilaniatum putabatur, sinè ullis vermibus a sero acri & bilioso fuisse erosum, conspectum est (c). Cur igitur rosiones viscerum, quae non a suppurationibus eveniunt, potiùs vermibus naturâ suâ innocuis, quàm iis succis acerrimis, qui quotidie in aliis quoque, praeterquám in ventris partibus, exedunt, tribuendae erunt? Nec certè ex inguinibus teretes vermes exeunt aut expelluntur, nisi vel ibidem perperè prius nexis ac suppuratis intestinis: Vel ibidem in herniae rationem erumpentibus, simulque vitiosè coalitis, tum verò sub tumoris suppurati larva Chirurgo imponentibus, atque ab eodem infaustè dissectis. Casum primum affert prae Aliis, Jaegerschmidt (*d*) Alterum verò nuperrimè diligenterque laudatissimus Tacconus, Bononiensis Professor (*e*) Nec difficilé equidem per inguinis abscessus intestinorum vermes exibunt; cum per eosdem, diutissimé extra uterum gestati foetus, aut eorum ossa, foras expulsa fuisse, tum pluries a nobis allatum sit; tum Anglicis (*f*) aliisque Commentariis afferatur. Nolint igitur inposterum

(c) *Misc. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 10. *Obs.* 105.
(d) *Misc. Cur. Dec.* 3. *Ann.* 2. *n.* 156.
(e) *De raris quibusdam Visc. affect. Obs.* 1740.
(f) *Ex relat. Equit. Skippon* 1662.

cordati Viri, insontes, amicos, imo auxiliares humani generis hospites, de tot tantisque hostilitatibus ac proditionibus injustè injuriéque criminari.

Spermaticae humanae Venae adnatus Vermis: jam que in volucrem evasus.

Atqui inter observationes, de *animalculis* in humano corpore inventis, atque in partibus, e quibus exitus non est, coercitis, a nobis huc usque habitas; nullâ ratione praeterire possumus, quin illud, quod a R. P. (*) Ordinis Capucinorum, quondam nostro discipulo, ac deinde Medicinae in eodem Ordine Professore, nobis est traditum, huic opusculo adnectamus. Nempe Vir iste, qui hoc anno ad meliorem vitam migravit, cum Genuae medicinam Fratribus sui Ordinis faceret, atque cadaveris masculini cujusdam sectioni, in majori Nosocomio, *Pammatonae* dicto, interfuisset; mihi enarravit: Post viscerum quorumdam abdominis inspectionem, cum deinde ad renes *Incisor* pervenisset, ab omnibus Adstantibus inspectum fuisse, ad sinistrum sinistrae venae *spermaticae* latus, folliculum quemdam, minoris avellanae magnitudinem referentem, atque ab ejusdem venae exordio (quae in illo cadavere ab emulgente procedebat) quatuor transversos digitos plus minús distantem. Hujus folliculi substantia eadem, ac mem-

Fig. XV

(*) *P. Bernardinus a Podivarino.*

membranarum venam componentium videbatur. Cumque Unusquisque illicò intus inspiciendi, quid contineretur, curiosus, enixè rogasset *Incisorem*, ut diligenter folliculi latebras tentaret; eo aperto, prodiit animal quoddam, seu potiús insectum ex genere volatilium. Quod ut omnium admirationem excitavit; ita etiam Unusquisque, velut pretiosum & eximium aliquid, accipere & servare studebat. Omnium tandem consensu memorato Patri concessum fuit: Qui vase vitreo illud excepit, atque dulciarii panis appositione, multis diebus vivum servavit. Diligentissimè autem delineatam, & naturalibus coloribus adumbratam ejus rei, idest *animalculi*, & venae *spermaticae* cum emulgenti vena & arteria sinistrâ, liene, rene, aliisque partibus, imaginem mihi amicissimè tradidit: Quam in proportione diminutam, nostrae tabulae apposuimus. Animal hoc, ut dictum est, ex quadam volatilium insectorum specie productum fuit. Caput subrotundum; oculi satis conspicui; duo cornicula; sex crura; geminae alae propriae, sub impropriis aliis collectae; dorsum convexum, cinereum nigrisque maculis interstinctum: Caeterà nigricans. Inter Alios verò, qui huic spectaculo interfuerunt, haud silen-

Fig. XIV.

dus

dus clariss. Doctor & Professor Lavagna, inter Genuenses Medicos eximius: Qui ante hos sex annos Taurinum adveniens, coram, hoc prodigium confirmavit.

Humani extra nei vermes alii qui ab hactenu memoratis di stinguuntur.

En, quot morbosae generationes, cum aditu aut sine aditu e corpore, in hominis partibus, quae intestina non sunt, non infrequentes contingunt. At longè plures a Medicinae Scriptoribus recensentur; e quibus qui vermes prodeunt, novam, seu his allatis intermediam classem adimplere videntur: Qui nempe e locis ubi sunt, exire modò possunt; modò verò non possunt: Plerique enim horum vermium ad exteriora corporis propriâ naturâ sedent; aut illuc a vasis pelluntur: Tum veró firmé priùs coerciti, postea vel sponte & per se, seu erosis intùs aut deductis carceribus; vel auxiliis, seu ab extra sublatis ad egressum repagulis, aliquem sibi foras exitum comparant. Hi porrò quadruplicis generis sunt: Helcophagi: Subcutanei: Glandulosi aliqui: & demùm *Vasculares*. In iis praecipuè humanorum vermium generibus, adeó exspatiantur Scriptorum commenta; ut in iisdem legendis, saniori judicio opus sit: Quo nempe quid verum, quid probabile, quid falsum aut ridiculum aestimandum, accuratissimè

per-

perpendatur. Hos interea percurremus; ne in hoc penso quicquam reliqui fiat. Helcophagi, seu ulcerosi, qui nempe ulcerum, tumorum, variolarum, abscessuum, anthracum, pestilentium aliorumque bubonum, carcinomatum, cariei & gangrenarum sunt incolae, â Borellio, Paraeo, Hauptmanno, Kirchero, Langio, Andrio Aliisque in medium adducuntur. Longus Villosus vermis, a femoris apostemate in homine exclusus, depingitur ab Andrio (*g*) Atque a Gulielmaeo & Ambr. Paraeo desumptus est. Vermiculi, quos in mammis natos esse, scribit Ronssaeus (*h*) cum ex apertis harumce partium vomicis prosilierint, abscessuum vermibus referendi sunt. Subcutanei rursus plurifariam sunt. Ex iis enim primùm accedunt crinones, seu propriè comedones vocati, longi, infantum dorsum, humeros & crura praecipuè occupantes: Quos apud Montuum, Kusnerum, Schenckium, Paraeum, Reusnerum, Borellium, Meysonnerium, & imprimis Velschium, (*) ac Ettmullerum (**) expositos, á Leeuvvenhoekio verò repudiatos, videre est. Secundó nervei ab albedine dicti; aliique majores, ac velut *funiculati*; minores alii, & tanquam serici, Dracunculi quoque, aut Venae

Helcophagi, seu ulcerosi vermes.

Subcutanei, eorumque plures species; seu

Crinones.

Dracunculi.

(g) *Cit. op. Tab.* 1. *fig. VI.* (h) *Misc Ep.* X.
(*) *Exercit. de Verm. Capill. Infant.*
(**) *Tom.* 1. *In Valet. Infant. aliisque locis*.

Medinenses appellati: Longi omnes; Aethiopum, Indorum & Arabum vermes: Pedes, lumbos & scrotum infestantes: Qui a Galeno ipso, postea ab Aegineta, Aëtio, Actuario, Avicenna, Albucasim, Amato Lusitano, Velschio, Th. a Vega, Schenckio, Hemmersamio, Blommertio Lachmundo, Quenotio, Wepfero, Wagnero, & Stoltersohto descripti sunt. Tertiò Cirones seu Syrones, breves, pediculares, per varias corporis regiones, sub cute, quam sēsim exedūt, obvii: Humanorum vermium minimi, humani idcircò Acari dicti, Aristoteli jam noti; atque à Marcello Donato, Schenckio, Velschio, Goedartio, Paullino, Andrio Aliisque depromti. In specie verò pessimae naturae syrones, seu mortem inferentes, a Mouffeto exponuntur. Singulares alii Syrones sunt, Bovilli dicti, primùm ab Arabibus, ni fallor, in hominibus; recèns verò á Vallisnerio in Bobus descripti. Cutem inter & carnem, in hominibus irrepunt; donec cutim disrumpant, & egrediantur: Aut saltem appareant; eisque ideo caustico, igne, ferro exitus aperiatur. In bobus musca saevior eorum tergus terebrat; ovum indit: Ex quo postea vermis excluditur, non serpens sed manens: Donec elato tumore cres-

Syrones.

Bovilli Vermes dicti.

cat:

cat: Hinc ſponté erumpat; & chryſalis fiat; & in volantem patris naturam evadat. In homine res ſecús contingit. Inſuper Tomi, ſeu qui cirones, pedum Americanorum ſunt proprii: atque ab Hiſpanis *chiques* aut *nigas*, ab Americanis *Tunga dicti*, apud Gul. Piſonem, *Rochefort*, Lerium, Mouffetum, Herrerium, Oviedum, Thevetum & P. *Labat* ſatis conſpicuos ſe praebent. Syrones igitur, ſeu acari, animalium, quae in homine maneant, minimi omnium eſſe videntur; nec niſi *opticâ* lente conſpicui. Id enim grecè ſignificant, quod prae exiguitate dividi non poteſt. Interea in iis acaris alios minores ineſſe acaros, neminem latet: Quorum nempe cum iis, magnitudinis differentia erit tanta, quanta quidem inter primos acaros totumque hominem eſt. Porró in ſecundis iis acaris, cum eadem differentiae ratione, adhuc tertios, in tertiis rurſus quartos, & in iis, ſin minús ad infinitum, ſaltem ad indefinitum numerum, ſemper alios atque alios, ulteriores eſſe, ex nota omnibus, animalium in animalibus lege, clarè tutóque deducimus. Quoſcumque enim minimos cogitemus acaros, cur poſtremos eſſe cogitabimus, qui non ignoramus, in qualibet materiae parte, quae minima nobis, imó poſtrema videri que-

Tomi.

Ex acarorum ratione, hominum poſſibilium omnium, & aliquot Vermium, germina, in primae Parentis ovario exitiiſſe, non difficilè intelligitur.

at, singularem non tantúm vermium, sed quarumcumque naturalium rerum Mundum, â Supremo Artifice condi posse? Neque aliter de possibilium humanorum omnium, imò & aliquot verminosorum germinum ordine, in primae Parentis *ovario* cogitabimus. Sed ad Historiam redeuntes: Subcutaneis quoque vermibus, de quibus hactenus diximus, referuntur qui in musculis substratis, aliisve carnosis partibus commorantes, a Redio Aliisque sunt traditi. Glandulosi vermes, alii majores sunt, longi, sed ad instar setarum tenuissimi, in glandulosis partibus, ut brutorum, sic hominum, inventi: *Quales ego* (ait Clericus) (i) *vidisse memini in canum glandulis ad oesophagum sitis, iisque similes, qui a clarissimo Redio in quorumdam animalium renibus, musculisque cuti substratis palmum majorem unum aut alterum longi, reperti sunt. Neque hi intestina incolere solent*: Alii verò (de quibus hic sermo) minores sunt, instar minorum ascaridum, seu casei vermiculorum: Quales nos e strumosis colli conglobatis glandulis extractos aliquãdo perspeximus. In salivariis superioribus glandulis, aut excernentibus earum ductibus, vermes, hactenus non inspeximus: An ab aliis inspecti fuerint, nos latet. Id scimus

Vermes ex [...]norum musc[...]lorum.

Glandulosi v[...]mes in exter[...] glandulis ha[...]tantes; & [...]iis extracti.

(i) *Hist. lat. lumbr. cap. XIII. fol.* 251.

mus, Leeuvvenhoekium Aliosque in salivis in genere, vermes, quâcumque vitrorum operâ, videre nunquam potuisse. *Vascularium* demum vermium, alii *umbilicales* sunt, seu vasorum, quae aliquando fuerunt sanguinea (forte & urachi) habitatores: Alii, qui vasa constantèr sanguinea incolere dicuntur; seu venarum atque arteriarum sunt vermes. *Umbilicales* vermes, eorumque signa describunt Platerus, Bringerus, Michaelis, Sultzbergerus, Paullinus, & imprimis Sennertus atque Etmullerus. Sed in hoc vermium genere multa adhuc obscura sunt: Obscuriora verò, quae sanguineorum vasorum vermes respiciunt. Namque si verum est, majores, variarum formarum, vermes e sectis vivorum hominum venis exiisse, ut tradunt Zacutus (*l*) Riolanus (*m*) Renodaeus (*n*) Germanae Ephemerides (*o*) Andrius (*p*) atque ex Andrii auditione, Sanmartinus, & Davalius Pater & Filius (*q*) ipseque Clericus (*r*): & rursus si verum est

Vermes Vascu-lares.

Umbilicales

Sanguineorum Vasorum, seu proprii sanguinis Vermes.

(l) *Lib.* 3. *Obs.* 95.
(m) *Encheir. anat.*
(n) *De mater. med. lib.* 3. *cap.* 33.
(o) *Dec.* 1. *ann.* 2. *Obs.* 154.
(p) *Lib. cit. cap. III.*
(q) *Ibidem.*
(r) *Hist. cit. cap. XIII.*

est, vel majores quoque vermes in mortuorum majoribus venis inventos esse, ut scribit se bis observavisse Spigelius; (s) an Quisquam sibi suaserit, grandes hos vermes fuisse in sanguine genitos, servatos adultosque, viasque ejus circuitus emensos: An potiús, peregrinos, & in sanguinis alveo viatores solum dicendos; idest ab aliqua eorum altrice corporis parte perperam, recènsque in eum traductos? Minores porró sanguinis vermes, seu *vermiculos* illos, quos sanè memorat Etmullerus: *Observatus est sanguis venâ sectâ emissus, plenus copiosissimis vermiculis* (t) an sanè morbosos & advenas; an naturales & inquilinos intelligat, Idem profectó non aperit. Caeterúm cum morbosorum in sanguine vermium res, patere latiús videatur; De naturalibus *iis insectis ad usum corporis animalium perfectiorum creatis*, ut ait Petrus Borellus (u), seu perpetuis & naturalibus sanguinis habitatoribus vermibus, nec nisi armato oculo conspicuis, Physicorum modò solemnior disceptatio est. Atque Nos quamquam solummodo in morbosos humanos vermes, eosdemque

(s) *De hum. corp. fabr. lib. 5. cap. 13. & lib. de lumbr. lat. cap. 5.*

(t) *Colleg. pharm. phytol. class. 11.*

(u) *Cent. 3. Obs. 4.*

demque etiam in ſanguine, ex inſtituto inquirentes; de iis quoque naturalibus verbulum, velut in mantiſſam habebimus.

Neque naturales, neque morboſi humani ſanguinis Vermes, ſatis hactenus dilucidati ſunt.

Si poſt ſatis perſpectos ſtationarios hominis vermes, ſeu variarum ejus partium velut inquilinos & proprios, clarè quoque intueri datum eſſet communes illos & vagos, qui in omnium humorum fonte communique gremio ſeu ſanguine, tum naturales & a vitae principiis impoſiti, tum morboſi atque in univerſalibus, iiſdemque febrilibus praeſertim morbis conſpicui, ubique devehi, & cum humoribus fluere praedicantur; profectò in hac una diſquiſitione nobiliores alias, imò fermè omnes humanorum vermium, recolligi quoque contingeret. Sed quò ſolertiùs poſt unum ſaeculum haec inſecta indagantur, eó forté minús in lucem collocata eſſe apparet. Porrò enim ad ſtatuendos in ſanguine non tantúm fortuitos ſeu morboſos, ſed inprimis naturales, perpetuos inſitoſque vermes, naturalium ipſa corporum analogia atque ratio, Philoſophos quidem plurimos allexit; oculus verò non adhuc ſatis operam praebuit. Obſervarunt, duriſſima marmora & corallia ab innatis ſuis, ſemper paſcentibus, vermiculis, non ſecùs ac vetus Caſeum, ſenſim exedi & abſumi: In metallis ipſis ſuos

ineſſe

inesse vermiculos (*x*): Ita innumeras semper in aëre, quo semper imbuimur, insectorum eorumque acarorum progenies esse: Aquam, ut nostrorum alimentorum omnium, ita nostri sanguinis basim, primumque velut principium atque elementum, propriis constanter vermiculis, pisciculis apud Aliquos, apud Alios verò anguillulis dictis, ita refertam esse; ut ob eorum copiam tantâ nutriendi facultate sit praedita, quá bruta, ipsique homines, solâ aquâ pasti, diutine vivere valeant: Idque vel si pluvialis, vel fontanalis, seu simplicior aqua sit. Ita Caponē unum, solâ aquâ nutritum, viginti dies, alterum verò, triginta vixisse, Redii observatio est (*y*): Aliaque apud Vallisnerium legitur, puellae, triginta diebus solâ aquâ altae, simulque a mortali aegritudine sanatae (*z*). Praeterea herbae omnes in genere (quae animalium nutricatus altera quoque elementa sunt) vermibus innumeris, diversique generis scatent; non solùm si putrescant; sed si tantúm fermententur; immò si solùm, quibusdam tem-

(x) *Ex Nebelio, quod ad plumbum, Misc. Cur. Dec. III. ann. V. & VI.*

(y) *Osserv. int. a gl' anim. viv. dent. i viv.* C. 93.

(z) *Galleria di Minerva Tom. VII. fol.* 153.

poribus, aliquandiu in aqua ferventur: Quod & in specie de feminibus, fructibus aliisque earum partibus dicendum. Quin etiam, absque ullo adhibito opere, in cujuslibet plantae trunco, radicibus, ramis, frondibus, foliis, floribus, fructibus, feminibus, diversos incolas vermes occurrere, apud naturalium rerum Scriptores in comperto est. An non caetera hominum alimenta innumeris scatere ac luxuriare vermiculis deprehenduntur? In alba triticea cerevisia vermiculi, quocumque tempore per *microscopium* conspiciuntur: (*a*) In vino omnibusque vinosis succis, vermiculi: In melle, vermiculi: In alimentis omnibus oleosis, rancidis praecipuè ac vetustis, copiosi vermiculi: (*b*) In omni lacte (qui liquor a sanguine est), si diutiùs steterit, uberrimus vermiculorum proventus: In omnibus, quibus vescimur, & non vescimur, animalibus, vermiculi: Et in iis vermiculis, rursus alii vermiculi: Et in iis iterum, ut supra, ad indefinitum numerum vermiculi: Ut ubique demum animata natura esse videatur. Cum iis ergò constemus, quibus nutrimur, & in quae resolvimur; nostra verò

(a) *Etmuller Tom. III. Coll. in Schroed.* §. *de aceto*.

(b) *Ibidem*.

verò alimenta vermiculosa sint; vermiculosi & liquores, in quos facessimus; vermiculosae immò carnes, quae é nobis defunctis supersunt; statuendum quoque videri posset, viventi ipsi sanguini proprios ac naturales inesse vermes. Interea rationibus rationes adversantur. Aquarum enim vermes, in ipso statim ventriculo omnino solvuntur ac destruuntur: Nec certè siné tota istiusmodi solutione, nutrire, ut supra, aquae possent. Ergò & caeterorum ciborum vermes, prorsus deleri in ventriculo necesse est. Lactis vermes ab insensilibus per aëra delatis insectis produci, aut ab ovis, prius contentis, excludi, verisimile arbitror. Ita & de aliorum alimentorū vermibus res erit: Quamquam vermium ova, in cibariis contenta, ob exilitatem, hanc primarum viscerum, hinc & sanguinis, & caeterarum corporis partium, solutionem effugere, non difficilè queant. Humana porrò cadavera, nisi muscarum ovis imbuantur, vermiculari nunquam, inferiús liquebit. In animali verò sanguine, motibus tantis tritibusque innumeris continuè quassato abruptoque, vermes neque quiescere, neque ideò depasci, neque ideo vivere, aut excludi possent. Quamquam vermium ova, quae sanè nec morâ, nec

pabulo indigent, aliquandiù possunt per sanguinem volutata servari, deindè in certam aliquam partem, ubi foveantur quietèq; foetus excludāt, ab eodem deponi. Sed haec tamen, si diutiús ab hoc torrente rapiantur, jactentur, atterantur & calefiant; infringi etiam & destrui, necesse est. Sed quod magis hypothesi adversatur, ipsa quidem oculorum fides est: Quandoquidem alba aut alterius coloris insecta, in sanguine pro *naturali usu* seu *ad pravum hauriendum sanguinem*, habitantia, *cucurbitae seminum*, *vel myrti foliorum similia, venis eorum ita dispositis, ut nervos foliorum referant*; *scatentia insuper syphonibus, in capitis posteriore, vel superiore parte hiantibus, ad sanguinem prius imbibitum, more Balaenarum eructandum instructa*, *seu Balaeniformes vermes, in rubro microcosmi Oceano innatantes*, quos describit Borellus (*c*) Andriusque confirmat (*d*) nos certè videre hactenus non valuimus. Qui verò ex Recentioribus sanguineos describere naturales vermes suscepére, hos sanè variis formis, inter se se & ab allata valdè disparibus, attulerunt: Ut ideó admodum probabile videatur, Neminem hactenus proprios sanguinis vermes revera inspexisse

xisse

(c) *Cent. III. Obs. IV.*
(d) *Cit. Oper. Cap. III.*

xisse. Equidem acutissimi, super alios quoslibet, minimorum in liquoribus insectorum Inquisitoris Viri, seu Leeuvvenhoekii, altum de sanguinis vermibus undequaque silentium; ejusdem verò confessio, nullos unquam, quâcumque industriâ usus esset, in humana saliva deprehendere potuisse (*e*), praeter alia, argumento esse videntur; hos in naturali sanoque statu reipsâ non existere. Memini Amici cujusdam, Physices Professoris, qui me, optimis *microscopiis* anglicis dives, aliquando laetanter conveniens, vermiculos in sanguinis guttula, acu a digito extracta, ostendere mihi sollicitè conabatur. Ego hercle opaca quaedam plana corpuscula, a globulis distincta, eisque interspersa, non albarum, sed obscurarum ad instar macularum, videbam. At neque in iis organicam animalis figuram; neque (quod caput est) vitalem aliquem motum, quâcumque adhibitâ illorum vitrorum industriâ, videre unquam potuimus. Saepiùs verò eodem succcessu experimentum idem tentabamus. Interea, ut in sanorum bile, saliva, urina, sero, lympha aliisque, qui a sanguine exeunt, humoribus, vermiculi non deprehenduntur; ita in variis morbis *animalcula*, in

(e) *Arcan. nat. pag.* 42. *& seq.*

iis liquoribus natantia perſpecta eſſe, extra omnem dubitationem eſt. Namque in vitiata bile vermiculos a Bidloo, Redio, Vallisnerio Aliisque viſos fuiſſe, jam diximus. Ruyſchius in bilioſis pariter vervecum vaſis perſpexit (*f*) quae quidem bruta ſana non fuiſſe, putandum eſt. Scriptores, qui rabidorum animalium ſalivae vermiculos attulerunt, ſeu Avicennam, Alzabaravium, Nic. Florentinum, Valleriolam, Mathiolum, Salmuthum, Th. a Vega Aliosque, Cl. *Deſault* eleganter collegit (*g*). In urina hominum, malignâ febri correptorum, *vermiculos rubri coloris, licèt exiguos, non ſemel vidiſſe*, Cl. Lanzonus teſtatur (*h*) Nos ipſi in febre illa acuta *epidemica*, quae verno tempore ann. MDCCXXXIV, Taurini primùm prodita, & vere ſequentis anni noviter recrudeſcens, hanc Urbem, atque univerſam ditionem, dudum devaſtavit; ſimulque alias Italiae & Europae Regiones adorta eſt, nec ſuo contagii gradu caruit; Nos ipſi, inquam, in aegrotantium urinis, in ſputis ipſisque lacrymis *animalcula*, vitris optimis, obſervavimus. Quorum

(f) *Obſervat. Anatomico-Chirurg. LXIV., Cent. I.*

(g) *Diſſert. ſur la Rage pag.* 266.

(h) *Ephem. Cur. Cent. V. Obſ. LXXII.*

rum fermè rotunda corporis forma cum bifidis ad dorsum testulis, velut alas obducentibus, similis esse videbatur iis insectis, quae, non ita minima, contrayervam, acorum, rhabarbarum, aliasque radices in officinis exedunt. Haec tamen volatilia esse observantur, seu jam ab aureliis exclusa: Cum sanè eorum vermes, ob exilitatem, visum effugiant. An quoque similia illa nostrorum aegrotantium, sed multo minora insecta, volantium generis essent, deprehendere non potui. Insecta hujusmodi an has febres produxerint, an ab iis producta, an solùm adjuncta fuerint, Posteri Cordatiores viderint; qui in aliorum quoque morborum vermiculos curiosiùs, nobisque forsan feliciús animadvertent. Porrò toties laudatus Andrius, in serosa substantia extracti sanguinis puellae, *syphilide* detentae, plures vermes manifestè perspexisse tradit. (*i*) Aliique alios, in morbosis humanis laticibus visos, memorarunt. Porrò in iis succis, qui suas stationes, suaque promtuaria consequuntur, morbosos vermes nidulari posse servarique, non difficile intelligimus: Sed hoc in ipso sanguine, semper, ut vidimus, irrequieto, fugaci intimèque divulso penitúsque attrito, satis in-

(i) *Cit. Oper. Cap. III. Art. I.*

intelligere non possumus. Quamobrem, etsi laudatus Lanzonus vermes in ipso sanguine, febri maligna correpti hominis, *clarissimè observasse* dixerit; (*l*) Bidlous in humanis cunctis, liquidis solidisque partibus morbiferos vermes insidere posse velit (*m*) Ita Kerkringius, ita Listerus, ita Alii plures: Et Ruyschius in arteriis viventis equi singularia animantia conspexerit (*n*) & Hartloekerus plerosque humanos morbos a vermibus effici, & in venereis morbis *innumera invisibilia insecta*, scenam omnem ludere attulerit; (*o*) & Faber, Kircherus, (*p*) & Alii (ut inferiús) pestem ex *sanguineis* singularis generis *vermiculis* deduxerint; & Plinius ipse de phthiriasi loquens, asseruerit; *Nasci in sanguine hominis animalia, exesura corpus*; (*q*) Et Plures cum Lipsiensi Langio (*r*), ad morbos penè omnes procreandos, in humano sanguine *Pathologiam animatam* effinxerint; & demum recentissimi Aliqui, pro malignarum

(l) *Cit. loc. & Observat.*

(m) *Cit. Oper. de* animalculis *in ovibus &c. detectis*.

(n) *Cent. I. Observ. LXIV.*

(o) *In sua altera Epist. ad Andrium.*

(p) *De Mundo subterr. & in tract. de peste.*

(q) *Lib. XXVI. Cap. XIII.*

(r) *Commentar. in Fabrum.*

gnarum febrium caussa, verminosam in sanguine luem, tanquam si reapsè compertissima foret, tutè stabilientes, hydrargyrum, earum proprium antidotum esse, decantent: Nihilo tamen minús satis hactenus demonstratum non fuit, morbosos vermes cum particulis sanguineis, aut *sanguineo-serosis* fuisse diú propriѐque commoratos: Et quamquam in sanguine visi illi fuerint; nihil quod certum sit, de propria eorum figura motibusque hactenus reportavimus. Quinimmò inexplicabiles sanguineorum vermium metamorphoses animo continuè fingendae sunt: Etenim hi non ampliús instar quadrupedum, reptilium, salientium aut volucrorum animalium; sed ad morem piscium, in humorum torrentibus & fluviis exquisité natantes aestimandi sunt. Quantum igitur eorum naturae, respirandi modi, formae, vires, origines, alimenta, generationes & domicilia, si fortè hi vermes adessent, ad hanc usque diem laterent! Quippe cum, ob dictas rationes, constet nobis, vermes in viventis sanguinis alveo generare non posse, immò in eodem aliquandiu subsistentes, necessariò mori atque destrui; semper de partibus, undè exclusi traductique in sanguinem, aut ejus serum fuissent, inquirendum superesset. Ut ideò praejudi-

ciis

ciis depoſitis, neque morbidos vermes, ſanguinis inquilinos eſſe, aperté dignoſcamus. Non inficiamur igitur, Kircherum Aliosque, non in peſtilentibus ſolúm, ſed & in aliis abſceſſibus, in cancris, ulceribus, variolis aliisve tumoribus, quinimmò in *ſcorbuticis* ipſis, ut volunt, maculis, vermes videre potuiſſe: Hos tamen in haec loca a ſanguine, tanquam proprios ſuos conſtantesque hoſpites, fuiſſe depoſitos, rurſus non aſſentimur. Qui nempe, vel in illis ſedibus, ab ovis, extrinſecús per aërem, aut impoſita lintea & ſplenia aut herbas, aut alia topica adjumenta delatis, nati ſunt; vel ſola eorum ova, ibidem a ſanguineis liquoribus traducta, hinc in vermes evaſa; vel tandem, ſi quidem nati jam ipſi vermes, a ſanguine convecti fuerint, non in ſanguine, ſed in aliqua corporis parte excluſi, ſanguine ſolúm, tanquã plauſtro & trajectu, uſi fuerant. Placet igitur, animo effingere, *Epidemicarum* vagantium acutarum febriũ aliarumque aegritudinum principia, ſita eſſe in quibusdam inſolitorum inſectorum inviſibilibus turbinibus, per certos ventorum afflatus noſtram in atmoſphaeram translatis, & in hac ſe volutantibus: Quae indè famelicae hoſtiles familiae & turbae, huc illuc caſu excurrant: Eodem pacto

Epidemici *vermiculi quomodo effingi poſſunt.*

cto ac verno interdum aestivove tempore, densissimos per aëra dispersos minimarum muscarum, seu culicum aut papiliunculorum vortices circumversari conspicimus; Qui aliquandiu gyris suis & orbibus sedem unam occupantes, ibidem pascuntur; absumptoque hoc pascuo, fortuitu, in aliam vicinam sedem evolant; ibidemque etiam, hinc alioversum, ad aliquod temporis pernicissimè rotantur. Atque hos rotantes *epidemicos* vermiculos ingredi cum aëre aliquando in homines, per ipsos effundi & depasci, pluresque, juxta varias in eis succorum indoles, eversiones agere, non difficilè percipimus. Sed eorum in hominibus generationis atque propagationis loca, undè contagii aliorumque effectuum ratio est, prorsus ignoramus. Placet insuper concipere, *epidemicas* has lues, vel in ipso incremento, illicò interdum deleri: Cum nempè nova aëris aut ventorum constitutio, suam quoque pestem & stragem, aut fugam iis vermiculis intulerit: Non dissimiliter ac bruchi, agros, arbores, tecta, parietes, domos nostras confertissimè saepè obumbrantes, ob eandem rationem extemplo, aut citissimè evanescunt. Quod etiam de muscis, pulicibus, aliisque insectis dicendum. Placet denique, contagiosos morbos, ut strumae

sunt

ſunt, maligna febris, peſtis, lepra, ſcabies, tinea, herpetes cenchriades, hydrophobia, dyſenteria, gangrena, phtiſis, furunculi, lichen ſeu impetigo, variolae, *ſyphilis*, *ſcorbutus* aliique, hos, inquam, omnes aut plurimos, diverſi generis inſecta hinc indè repentia, ſaltantia, aut volitantia, aut etiam natantia conſectari. Sed cujus naturae cujusque formae haec animantia ſint; quo pacto ſoboleſcentia; quid agant in ſanguine; & quibus in partibus quibusque viribus res ſuas exequantur, adhuc ignotum.

Peſtilentes vermes, eorum que Fautorũ Chronica Series.

Non eſt interea, quód gravium Scriptorum cohors truculentiores contagioſos vermiculos, ſeu peſtilentes, omni aevo tuita ac proſequuta non fuerit: Quorum ſi hìc loci chronicum breviſſimumque ſermonem egerim, placere putem. Inſectorum enim malignorum atque peſtiferorum, reptilium, ſalientium, aut potiùs volantium hypotheſis ad hanc aetatem invaluit, quae jam apud Vetuſtiores incoeperat. Varro (*ſ*), poſthinc Columella (*t*) malignas atque *epidemicas* febres ab examinibus inſectorum, é paludibus prodeuntium, oriri ſcripſerunt. Porró inter Recentes primus omnium, ut puto, Georgius

(ſ) *Lib. de Re Ruſtic. antè C.* 25.
(t) *Etiam lib. de Re Ruſtic. A.C.* 57.

gius Agricola, vermiculos in pestem, saltem tanquam effectus, induxisse videtur (*u*) Ad superioris saeculi initia Fabritius Hildanus vermiculos, pestis comites esse arbitratus est (*x*) Ita Riverius (*y*) Sed ante Monspeliensem Doct. Riveriū, Petr. Joh. Faber, pariter Monspeliensis Doct., pestis insecta expressim descripserat (*z*) Postea Hauptmannus, (*a*) hinc P. Kircherus (*b*) pestem a vermiculis, per singularem putredinem ortis, explicarunt: Cujus quoque P. Lana sententiae est (*c*). Fabrum atque Kircherum, Christ. Langius sequebatur (*d*) Langium verò Macasius (*e*) Paullinus (*f*) &

(u) *Lib. de Peste* 1554.

(x) *Cent.* 4. *Observ.* 23. 1619.

(y) *In X. Observat. infrequent.* 1646.

(z) *In Pathologia Spagirica seu insign. curat.* &c. 1627.

(a) *Epist. Praeliminar. ad Tract. de viv. mort. imag.* 1650.

(b) *In scrutinio Physico-med. Pestis* 1658.

(c) *Prodromo all' Arte Maestra Cap.* 8.

(d) *In Animadvers. ad Pathol. spagiric. Joh. Fabri: Et in Praefat. Operis Athanas. Kircheri* 1659.

(e) *In edition. Prodrom. Pathol. animat. Langii* 1666.

(f) *Disquis. Cur. An mors naturalis pler. sit subst. vermin.* 1671. & 1703.

& G. Francus (*g*). Bocconus quoque peſtem ab inſectis, per aëra vagantibus deduxerat (*h*), Demum noſtro hoc ſaeculo diligentiſſimus Valliſnerius in bovilla peſte, horumce brutorum ſanguinem minimis peſtilentibus vermiculis refertum, una cum Doct. Bono apertè vidiſſe affirmat (*i*) Tum verò Cl. Cogroſſius peſtifera inſecta ratiociniis & analogia firmabat (*l*). Firmarunt quoque rationibus multis Bartholomaeus Curtius (*m*) P. Saguens (*n*) Aliique; quos mitto, cum animatae peſtis Hiſtoriam non ſumpſerim. Celtica lues peſtis unum genus adimplet: Et ſanè hujusmodi, primo ſuo in Europam ingreſſu, omnino eſt habita: Quum nempe in magnis Urbibus hoc morbo laborantes, inſtar genuinâ peſtilentiâ affectorum, in ſequeſtrum, ſecretaque a commerciis hoſpitia, publicis ſanctionibus cogebantur. Ita quoque contagioſorum hujus morbi ver-

Celtici vermes, eorumque Patroni.

(g) *In Praefat. Operum Langii* 1688.
(h) *Oſſervazioni naturali* 1684.
(i) *Idea del mal contagioſo de' Buoi* 1713. *& in nova edit.* 1733. *Tom. II. Operum Vallisn.*
(l) *Lettera del mal contagioſo de' Buoi* 1714.
(m) *Lettera intorno all' aria, e vermiccinoli, ſe cagioni della Peſte* 1720.
(n) *In Syſtemate Peſtis Phyſico* 1722.

vermiculorum sui non minùs Fautores jam dudum extitere. Nam in urinis venereâ lue infectorum hominum „ multoties in- „ natare animalcula formicis affinia „ (ut superiùs pag. 329. dictum est) Lev. Lemnius atque Wierus, ferè ante duo saecula affirmaverant,(*o*). Superiori igitur saeculo Abercrombyus „ de venereis vermiculis „ jam dictum fuisse „ monuit (*p*). Hartsoëkerus, ut diximus, venerea haec insecta amplexus ac prosequutus est in Epistola ad Andrium (*q*) Andrius verò ad hoc saeculum, quamquam celticos vermes postremis sui operis editionibus deseruerit, peregrinos tamen vermiculos in sero puellae, *syphilide* affectae, ut supra, vidisse fatetur (*r*). P *Calmet* Lepram & *syphilidem* perindè esse, utramque a specialibus vermiculis exoriri contendit (*ſ*). Cl. *Deidier* Calmeti sententiam ambis ulnis amplectitur

(o) *De occultis nat. mirac. lib.* 2.*&* *De praestig. Daemon. lib*: 3. *ann.* 1564.

(p) *Tuta ac efficax luis ven. cur. meth.* 1684.

(q) *In laudat. Epist.* 1699.

(r) *In Oper. tot. cit.* 1700. *& post alias edit.* 1718. *Cap. III. Art. I.*

(ſ) *Dissert. de Lepra* 1708.

plectitur (*t*) Demum *Desault* verminosum hunc morbum esse probat, confirmatque (*u*) Sed neque hi vermes benè hactenus dignoti sunt.

Supercutanei hominum morbosi vermes: Et primùm scabiosi.

Verumtamen quorumdam hominis contagiosorum vermium, seu scabiosorum, nonnulla sunt, quae luculenter innotuisse videntur. Atque haec, tantisper adhuc in argumento immorantes, breviter hîc dicere statuimus. Immò cum scabiosi vermes aliam a caeteris omnibus humanis constituant speciem; utpotè quorum scena *supercutanea* est; neque ideò hi vermes inter allatos subcutaneos vermes, aut alios quoslibet, reponendi esse videantur; eis quoque pediculares humanos vermes morbosos adjiciemus; qui certè non percipiuntur, nisi cum *supercutanei* sunt facti. Ita ex utrisque nova & postrema classis efficitur; quâ morbosorum vermium, in vivente homine non infrequentium, recensendae multitudinis finis sit: Et primúm quod ad scabiem attinet: Puto, veteri non minùs aetate, quàm nostrâ, accuratiores Viros scabiei pustulas diligenter indagasse: Scabiosae enim pruriginis a vermibus ortus, fortasse Plinium non latuit

(t) *Dissert. sur les malad. venerien.* 1723.
(u) *Dissert sur les maladies venerien.* 1733. *& Dissert. sur la pierre* 1736.

latuit ; qui hanc *verminosam* vocavit. Scabiei rodentem vermiculum Joseph Laurentius (*y*) *acarum* & *teredinem* vocat : Haec nomina graeca sunt. *Acaros* veró (de quo superiùs) juxta Aristotelem, minimum *animalculum* est, quod in cera praecipuè gignitur : *Teredon* propriè significat vermem ligna erodentem, ex Aldrovando (*z*) vel etiam ossis erosionem, quae caries latinè dicitur. Alii, ut diximus, nomen acari tribuunt pediculis iis, sub cuticula latentibus, quos plurimi *Cirones* aut *Syrones* vocant. Vid. Aldrovand. (*a*) *Syrones* interea scabiosi vermes non sunt. Porrò scabiei vermiculus ab Italis proprio nomine *Pellicello* vocatur. Observationes in scabiosis vermiculis acceptiores, eorumque accuratae atque elegantes icones, *optico* vitro adauctae, sub nomine Joh. Cosmi Bonomi Italicâ Epistolâ olim editae (*b*) atque Francisco *Redi* nuncupatae sunt : Quae indè a Doctissimo, nobisque olim Amicissimo Lanzono latinè redditae, novam apud Germanicas Ephemerides (*c*) lucem habuere : Hinc quoque

(y) *In Amalthea.*
(z) *De Insect. lib. VI. Cap. V.*
(a) *Ibidem lib. V. Cap. IV.*
(b) *Firenze* 1687.
(c) *Misc. Cur. ann. X. Dec. II. in Append.*

in Anglicis Philosoph. Transact. sub nomine laudati Bonomi relatae sunt (*d*). Attamen Celeber Hyacinthus Cestonus peculiaribus litteris ad Cel. Vallisnerium datis (*e*) aperuit, primae illius epistolae, ab eodem insuper Redio expolitae & inventis adauctae, se fuisse Auctorem: Atque in altera epistola, pleraque ea resumens, quae in prima erant tradita, singularia quoque adjiciebat: Ut, scabiem morbum semper extrinsecús advenientem esse: Veteribus quoque scabiosos innotuisse vermiculos; sed scabiosarum pustularum & internae putredinis filios fuisse creditos: *Animalcula* hujusmodi acuto capite erectisque ad rictus apicem corniculis, cutem fodere; undè exsudato sero aquosae bullulae prodeant: Hinc scabiem, hunc ipsum morsum esse, & pruriginosam rosionem: Ab unguibus indè scalpentibus discindi cutis partes & inflammari, ruptisque sanguineis tubulis, decorticationes indè crustatas, & plagas, & purulentas pustulas fieri: In quibusdam, quae magis rugosae ac sinuosae sunt, communium tegumentorum partibus, abundare, & ob commodiorem germinum depositionem, stabulari

(d) *Vid. Sagg. delle Transaz. filos. &c. Tom. III. fol.* 53.

(e) *Ad fin. Tom. I. Oper. Franc.* Redi.

ſtabulari hos vermiculos : Cur ad manus earumque digitos plerumque cumulatiores ſint : Quàm citò eorum foeturae multiplicentur : Quàm facilè & quot modis communicari valeant : Hanc ideò proſapiam, productumque morbum, unis externis necantibusque remediis curanda eſſe : Curationem verò ſubitò, & ad omnia pruriginum loca praeſtandam, nihil perſpectis anni tempeſtatibus, nihil Lunae phaſibus; omnique aetate ſexuque; tum verò, ad ovorũ quoque ſuperſtitum deſtructionem, vel poſt apparentem morbi finem aliquandiú prorogandam : Aliaque praeclara adjicit, aut potiús repetit. Namque in prima jam epiſtola Honoratus Scriptor aquatas, & valdè imprimis pruriginoſas, neque adhuc cruſtâ obductas puſtulas, in plurimis ſcabie detentis, variae aetatis, conſtitutionis ſexusque hominibus, variisque anni tempeſtatibus, ſubtiliſſimâ acu pertundens, in tenui expreſſo latice minimum album globulum percepiſſe tradiderat; qui vitreâ lente perſpectus, puſillum animal erat, teſtudinem formâ referens, *Fig. XXIX.* coloris albidi, dorſo obſcurius, longis ſubtilibus pilis, atque ſex pedibus inſtructum; acuto inſuper capite; cornubus ad extrema proboſcidis binis; motusque imprimis perniciſſimi. Ad digitorum artus,

intra exiles Epidermidis ſulcos haec interdum *entomata* ſpeculatus fuerat: Ubi primùm eorum caput inſinuant; indèque rodentia, moleſtiſſimum pruritum inferunt; donec omnino ſub cuticula irrepſerint: Hinc exedere cum proſequantur, unum ſanè horumce animalium plures interdùm puſtulas, junctas aut attiguas, procreare advertebat; tum verò ex aſſidua eorum roſione, ſeri copias a ruptis cutis partibus effundi; quae, ſuperſtructâ ſublatâ cuticulâ, veſiculas, ſivè puſtulas elevent: Viderat demum ab iis viventibus ova edi, alba, perlucida, & inſtar pineorum ſeminum oblonga: Hinc faciles eorumdem germinatus dignoverat, & celeres propagationes, promtaque per res externas contagia: Et cur praecipuè ab extrinſecús admotis, plusquam ab internis remediis, ideſt ab uſurpatis ſtillicidiis, balneis, unctionibus, ubi ſalia ſint, ubi ſulphura, vitriola, hydrargyra, ſimplicia vel *ſaliformia*, ſublimata nempe aut *praecipitata*, *cutaneus* hic morbus, hoſpitibus enectis vermibus, profligetur: Tum verò cur iſta lues, quae remediorum ope ſublata jam prorſus videatur, brevi tamen interdũ repullulet: Quũ nempe ab iis praeſidiis, nati jam ſolùm vermiculi delentur; non ea tamen, quae ſu-

Fig. XXX

perſuc-

perfuerint , ova , profundioribus cutis *cryptulis* nidulantia ; novosque indè in vermes excludenda . Hactenus Cestoni inventa . Atqui multae scabies ab interiori causa & sinè contagio sunt ; multaeque aliarum diversi generis aegritudinum crises evadunt ; quas scilicet suâ eruptione solvunt & judicant . Porrò si quidem has scabies citiús , quám par sit , praecipuè externis remediis incauti medicentur ; aut hae spontè , vel causâ quâlibet retroactae sint ; teterrimi interni morbi fiunt ; nec plerumque superabiles , nisi quámpromtis validisque stimulis scabies ad cutem denuó revocetur. An scabiosi vermiculi , qui suaptè natura externi sunt , interni quandoque evadunt ? An duo scabiei distincta genera , verminosae , & non verminosae? An scabies ab interna causa , scabies revera non est ?. Sed cutis vermiculos , quoniam spectabiliores sunt , fusiùs , quàm videretur , retulimus . Alios minoris notae variarumque stirpium , qui quoque ad hominis exteriora concepti , nati , pascentes , generantes nidulantesque , suos progressus consequuntur , Alii referant . Ego brevi hac in Historia praetereo . Verbum pollicitus sum , de iis singularibus morbosisque pediculis , qui in cutis substantia sobolescentes , ab aliis discriminantur pe-

 diculis

diculis, qui in *epidermidem* non penetrant, ſed ad pilos ſeu crines, aut indumenta ipſa nidificant; & naturales ſunt.

De humanis morboſis pediculis: eorumq; & aliorum hominis morboſorum inſectorum ſingulari commentto.

Porrò humanum corpus fovendis alendisque inſectis, ita a natura comparatum eſt, ut ejus non tantúm interna; ſed & externa membra atque organa magnam quandoque partem tranſmutari in vermiculos videantur. Id patet in morbo, pediculari dicto, ſeu a graeco pediculi nomine *Phtheir*, *Phtheiriaſi*: In quo pediculorum é cutis meatibus eruptio tanta eſt; ut ſaepiús infantes, interdum & adultos mirè torqueat; tamque abnormis ab externis ca nibus pullulantium colluvies, & rapida velut exundatio; ut brevi homines de medio tollere valeat, vivosque depaſcere videatur. Quâ foeditate non ſolúm Herodes, Sylla Dictator, Alcmeon Aliique apud Plinium & plures Veteres; ſed recentibus quoque ſaeculis Principes, privatique Homines non infrequenter ſublati ſunt. Putant Aliqui, iſtiusmodi pediculos, ſcabioſorum vermium familiae adſcribendos eſſe: Utpotè qui humidae ſcabiei comites eſſe videantur. Nos tamen ſinè ulla ſcabie, Phthiriaſin ſemel iterūque obſervavimus: Et Plinius de hoc morbo loquens, hujus vermes ex ipſo ſanguine deduxerat

duxerat, (*f*) Ut superiùs est dictum. Atque hos pediculos Caelius Aurelianus *ferales* denominat. Ad trucem hunc morbum nulla olim remedia inventa fuerant: Singulare tamen novissimè inventum est. Namque non ita pridem in editis ab Anonymo quibusdam pagellis (*g*), propriis quidem notis descripti, atque iconismis signati sunt distincti omnes vermiculi, praecipuos, imò omnes, humani corporis morbos, singuli singulos, conficientes: Qui nempe in gutta extracti sanguinis aut urinae aegrotantium, aut in aegritudines propè tendentium, optimo vitro *optico* perspicuè numerosissimèque appareant. His verò morbosis internis vermiculis objicit Auctor LXXXXI familias externorum vermium; qui in aquea infusione, ex pluribus plantis & aliquot fossilibus corporibus praestita, citò excluduntur; & in qualibet minori gutta horumce infusuum, confertissimi pernicissimique, ejusdem vitri operâ occurrunt. Hos autem herbarios aut fossiles vermiculos hic Scriptor morbosorum illorum vermiculorum hostes sivè *antagonistas* esse statuit: Utpote qui in aegri

 Ho-

(f) *Lib. XXVI. Cap. XIII.*

(g) *Systeme sur la cause de toutes les especes de Maladies &c. à Paris MDCCXXVI. & suite du systeme &c. MDCCXXVII.*

Hominis corpus immissi, iis ita mordicus adversentur, ut lupi adversantur pecudibus, vulpes volucribus, feles muribus, perdici accipiter, lucius carpae & muscis hirundines: Bellentur itaque in humani corporis partibus & pugnent: Neque desinant, donec occiderint. Porrò in iis recensitis ab Anonymo isto bellatoribus ac *vermicidis*, ideoque Homini salutiferis externis insectis, scabiosorum insectorum *antagonistas* non video: Nisi illi fortè sint, quos ait Inventor noster *Cirones* interimere. Pediculorum tamē speciales inimicos vermes reperio. Sed velim, provida illa Commentatoris herba, undè ii educuntur, ab eodem *Nicota* dicta, confertissimos super aliam quamlibet, & super ipsam suam herbam *Xir* (quae nempe, ipso docente, vermes generat, quorum unus sexagesimâ horae parte, plus centum *variolosos* vermiculos laniare valet atque comedere) strenuissimos praeliantium ac devorantium, & sanè *comedonum* vermium exercitus proderet.

Singularis Phthiriasis Historia.

Memini enim antè hos XXXX annos Matronam acutâ febre decumbentem vidisse; cui velut critica repentè Phthiriasis ita abnormis supervenit, ut familiares lintea & pulvinaria, novis semper pediculis referta & onusta, totâ & continuâ nocte é fenestris succuterent atque abstergerent. Mane

Manè verminosa germinatio desiit. Mulier diu languit: At verò convaluit. Sed quamquam ipse de novo hoc vermium systemate jocosè dicere, videri possem (& sanè ex variarum plantarum partibus, & maximè foliaceis, aquae infusis, verno praecipué aestivoque tempore, varia minimorum pernicissimorumque insectorum prodire genera, ut alias diximus, id certum est: Sed varia in urinis variis varioque humano sanguine, semper videri insecta, id porró incertum: His verò hostilia illa esse, omninò ignotum) convenit id tamen mihi cum Caeteris, nullum in editis libris paradoxum legi, in quo benè intelligentes Viri, boni aliquid piscari non queant. Porrò prima illa hujus Hominis commentatio, quae nempe proprios singulis morbis, atque diversos diversis, internos vermiculos respicit, sequela est celebrium Systematum Fabri, Kircheri, Langii, quae diximus; atque earum Historiarum & Historicorum de specialibus humanarum aegritudinum insectis, qui apud Marcellum Donatum (*h*) Christ. Paullinum (*i*) & G. Francum (*l*) amplè recensentur. Quae veró exterorum vermium

(h) *Lib. IV. Med. Histor. mirab.*
(i) *Oper. superiùs cit.*
(l) *Loco superiùs cit.*

mium, internis humanis antagoniſtarum & cum his decertantium, altera ejusdem narratio eſt, minùs ſpernenda videri poſſet, ſi meminerimus, accuratisſimos quoque celeberrimosque Viros, de vermium in humano corpore, multâ hoſtilitate adverſantium, conflictibus cogitaſſe & ſcripſiſſe(*m*). Addendum puto: Typis editas hujusce Inventoris pagellas, ad nos anonymas, ut ſupra, perveniſſe: Nuper verò Illuſtrisſimum Aſtrucium, eruditisſimo ſuo Opere *de Morbis venereis* (*n*), Hominis nomen obiter aperuiſſe (*o*), ſimulque *opticorum* ejus vitrorum fucum curiosé revelaſſe: Quamquam verò ultrò concedamus, lepidum iſtum Commentatorem naturalibus ſibi cognitis rebus, artificii nimium ſuperſtruere voluiſſe; ita tamen illaudabilem non duximus, ut in hac Hiſtoria memorari non deceret. An non ſagacisſimi Hominis pars eſt, ea, quae lenté nobis gradientibus inaceſſa ſunt, uno mentis volatu ſuperare conatum eſſe? Quid enim nobis de memoratorum pediculorum, ut & aliorum plurium humanorum *Entomatum*, patribus ac patriis eſt agnitum? An

natura

(m) *Valliſnerius: De' vermi peſtilenziali de' Buoi. Num. XVII.*

(n) *Lib. II. Cap. II.*

(o) *Vocat* Boile.

natura, ut diximus, undequaque animata est? An novus aut uberior quorumdam animalium egressus & confluxus, solùm aptioribus redditis congruentis nidi, pabulique conditionibus referendus est; si quidem nos ab exordiis, possibilium omnium emersurorum vermium vermiculorumque germina, juxta Neotericorum sententiam, nobiscum gestemus? Sed, donec germinum principia, progressus, complexiones, vitae genus, & maximé primigeniarum componentium partium naturam, vires, & numerum ignoramus, quid recté & apposité de insectorum humanorum genesi moribusq; disputabimus?

Neque solùm, aptum natum est corpus nostrum nutriendis insectis, dum brevi hâc vitâ fruitur; sed simul atque spiritu destitutum est, plurima diversae etiam speciei insecta ad ipsum concurrunt; ibique ova sua, tanquam iisdem excludendis atque fovendis aptissimum locum nacta, deponunt. Inter insecta verò, quibus ova in humanis carnibus deponuntur, plerumque muscae esse solent. Id primum annotasse videtur nunquam satis laudatus Ruyschius (*p*) de vetustissimis a se visis cadaveribus loquens. „ Quaedam vidi, *inquit*, habi„ tu suo referentia limum nigrum; alia dura

De vermibus humanorũ Cadaverum.

(p) *In fine Decad. II. Advers. Anat.*

„ dura, ſicca, contracta; nonnulla in
„ cinerei coloris pulverem mutata, ſed
„ haec rariora: Quin & alia vidi, a ver-
„ mibus roſa; verúm illa ſolummodò,
„ quae aeſtivo tempore defuncta, a muſ-
„ cis, ova ſua in iis ponentibus, erant
„ infeſtata: Haec enim inveniebam ple-
„ na vermium aureliis, ex mortuis ver-
„ mibus enatis. Vidi cadavera humi con-
„ dita non conſumi a vermibus, niſi enar-
„ ratis modò in caſibus. Utcumque ali-
„ ter ſentire intellexerim ab infantia uſ-
„ que, omnes feré Homines „ Muſcae
Fig. XI. igitur, quibus ova in humanis carnibus deponuntur, aliae, ut ſupra adnotatum fuit, vivos jam foetus, aliae verò ſobolem ovis adhuc incluſam parturiunt. Vermes iſti a muſcis viventes editi, vel ab ovis ſubindé excluſi, minimi primúm, & vix nudis oculis conſpicui, brevi deindé, & maximé vigente calore, grandiores evadunt, carnesque erodunt; & nutriuntur; donec faſeoli magnitudinem mediocris
Fig. XXVI acquirant: Longi ſunt magis, quàm lati, ab una extremitàte obtuſi, ab altera verò acuti, interim rotundi, albicantes, lucidi, geniculati; qui datâ occaſione flectuntur ac ſinuantur in arcum: Et capite interdum caudae admoto, impetu ſubindé reſiliunt: Nec ſolùm hinc indè feruntur;

Sed

Sed quod iis vermibus, ſuper alios fortè magis famelicis robuſtisque, ſingulare eſt; Se a cadaveribus ad IV uſque pedum diſtantiam jaculantes, aſtantium Hominum veſtibus, non certè pedibus, quibus carent, ſed geniculorum limbis, fortiter adrepunt. Denique aliorum volatilium more abbreviantur; corticem duriuſculum acquirunt; in *nymphas* ſeu *chryſalides* abeunt: Ex quibus ſingulis poſtea volatile inſectum, parenti ſimillimum, ſeu muſca prodit. Sicque continuatis transmutationibus, certo ordine conſtantique naturae lege ſtatutis, horum animalium ſoboles atque determinata ſpecies propagatur. Haec quidem vulgaria; hîc tamen non ineptè facientia.

Fig. XXVII

Fig. XXVIII

Antequam ultimam noſtro huic Opuſculo manum imponamus, opere pretium erit, ea omnia, quae noſtra legentibus negotium faceſſere poſſent, currentis inſtar leviterque diſcutere: Ne fortè quis putet, nobis haec ſcribentibus in mentem nullatenus cecidiſſe ea etiam, quae deindè a rerum naturalium Cultoribus quoquomodo objici potuiſſent. Surget fortaſſe labentibus annis, qui rem conceptu difficilem dicat, quânam ratione aut quibus viis inſectum illud, quod paulò antè retulimus, ad ſiniſtrae ſpermaticae venae latus, inter

Naturalium rerum ſuperiores altioresq; cauſae, plerumque indagari non poſſunt.

Fig. XIV.

ter ejusdem membranas folliculo excreto pervenire; ibique appulsum, ad illam magnitudinem (ut ita dicam) adolescere & vivere potuerit. Dicent plerique, non omnibus Auctoribus fidem esse adhibendam; immó iis tantummodo, qui res naturaliter possibiles atque conceptu faciles, scriptis tradiderint; Non veró illis, qui putidis quampluribus fabellis volumina implevere; atque passim Serpentes etiam, Anguillas, Busones, Talpas per feminarum uterum excretos fuisse scripserunt; quo tamen nihil absurdiùs. Nos veró, qui neque ita boni sumus, ut statim prodigia quaelibet, vel audita vel in Scriptorum operibus perlecta, sinè ullo mentis ratiocinio tanquam vera amplectamur; atque etiam illud altae menti defixum est, omnibus de rebus serió priùs dubitandum esse, quàm judicium ullum feratur, atque hâc tantum viâ aditum ad veritatem patere; ultró libenterque concedimus, non quibuscumque fidendum Scriptoribus; nisi priús phisicarum rerum ordinem perpendentes, claré distinctéque, quae narrantur fieri naturaliter posse, percipiamus. Intereà veró quia Hominum nulli fortasse datum est, ad intimam rerum notionem, quâcumque studiorum & meditationum vi adhibitâ, pervenire; quod superiùs proposui

posui, intelligendum ita arbitror; ut ea etiam quandoque admittenda sint, quorum veritatem sensus ipsi, & longus rerum usus nos edocent; ratio verò certa, aut saltem probabilis, solertiores etiam Philosophos latet.

Proximae verò atque inferiores indagantur.

Quamobrem nunc praecipué disquiramus, an melioris etiam notae Scriptores ea afferant, ex quibus ratio deducatur, quâ inter venarum aliorumque vasorum membranas viventia quaedam insecta, aliquando inveniri possint. Sic eorum saltem ingeniis aliquo modo satisfaciemus, qui haec non modó vera, sed neque possibilia esse contendunt. Humani corporis, ut animalium omnium, ea est constitutio, ut nulla in eo etiam exigua pars inveniatur, quae innumeris poris seu cavitatibus, cum corde ope arteriarum, succisque omnibus ope sanguinis communicantibus, non sit undequaque referta: Partes enim singulae nutritionem accipiunt & conservantur, ac diu in eodem statu permanent; vel crescunt, & majori tunc partium additamento indigent; non tantúm ut earum particularum, quae avolant, reparetur jactura; sed etiam ut particulae addantur; quae deindé nutriendae parti inhaerentes, ac simul collectae, eamdem grandiorem efficiant. Quae omnia,

cum

cum intelligi non posſint, niſi corpus animale omni ex parte pervium & permeabile ſit; liberrimus idcircó particularum aditus ad quaslibet, & ad minimos etiam & pené inviſibiles pilorum apices, eſt concedendus: Immò non tantúm inſenſibilium, ſed ſenſibilium humorum fluxus reflexusque, in minimis omnibus animalium partibus per quaslibet directiones fiunt; & tantâ interdum celeritate, ut dicto citiús evaneſcant, qui humores paulò anté in aliquam partem liberrimé delati, inflationes aut plenitudines velut momento temporis produxerant. His animadverſis, ſi quis nunc inſuper conſideret, animalium & praeſertim inſectorum quorumdam adeo minuta ac ſubtilia eſſe ova, vel ſemina, ut omnes oculorum aciem eſſugiant; intelliget etiam, quomodo haec a liquoribus ad quaslibet corporis partes deferri, neque ſolùm in vaſa, ſed inter vaſorum tunicas inſinuari, posſint. In hanc eandem ſententiam Celeberrimi rerum naturalium Scriptores inciderunt. Clarisſimus Vallisnerius, in rebus naturalibus perſcrutandis nemini ſecundus, nec non Scriptor accuratisſimus, haec habet,, (*q*) Neque ,, etiam ita difficile fuerit cauſſam inveni- re

(q) *Epiſt. ad Lancis.: Nuova ſcoperta dell' Ovaja &c.*

„ re, quâ fiat, ut extra inteſtina vermes „ interdum reperiantur. Ova ſiquidem „ ipſorum ita minuta, ita levia & ro- „ tunda ſunt; ut vel anguſtiſſima vaſa „ ſubire, & humorum undâ, quoquo- „ versús devecta, *ad omnes* Corporis „ *partes penetrare* queant „. Ex quibus verbis aperté patet, quám facilè minutiſſimum ovum, fortuitò cum alimentis vel potulentis deglutitum, ad eas omnes partes dèvehi queat, ad quas nutricantes latices perveniunt; ibique etiam ab eo animal excludi poſſit.

Reperti vermes inCerebro aliiſque hominis & brutorum reconditis partibus, tantâ firmantur evidentiâ; ut de iis ulteriùs ſuſpicere, injurium eſſe videatur.

Quod autem ſuperiùs de vermibus cerebri aliarumque reconditarum Hominis aut brutorum partium dictum eſt, id ita quidem certum eſſe putamus; ut a nemine in dubitationem poſſit revocari. Omnia enim ea, quae poſſibilia ſunt, nullamque repugnantiam, imò difficultatem nullam involvunt, quicumque inficias iverit; illum profectò nonniſi per injuriam id efficere poſſe arbitramur: Quid verò, ſi revera eſſe, evidentiſſimé demonſtretur? Fac enim, noſtras Aliorumque ſuperiús fol. 345. expoſitas Obſervationes, fide dignas non eſſe: Fac, publicorum Commentariorum totque celebrium Scriptorum, & imptimis Godefridi Bidloi, Redii, & Valliſnerii (qui Viri!)

ea, quae quoque ſuperiùs attulimus, vermium in hepate, vel ovillo vel humano, inventa, etiam veritati conſentanea minùs eſſe: Aberraſſe inſuper ſolertiſſimos Viros ſuperiùs memoratos, quibus pericardii imò cordis vermes, fuerunt comperti (qui nam autem humani alii, plusquàm horum viſcerum vermes, clauſi intimique eſſe poſſent?) Ponamus demum, tot tantoſque celeberrimos Viros, atque ſolertes Anatomicos, qui perſpicuè, nec ſemel, cerebroſos vermes, rubros, nigros, piloſos, longiores, breviores, craſſiores, tenuiores, cum ore interdum, aut oculis conſpicuis ſe moventes, quandoque fugientes, atque ad aliquod adhuc tempus aperto in aëre viventes, cum meningum eroſione, aut cerebri corruptione, aut ſolâ terebratione, aut etiam incolumitate; in phreneſi, mania, dolore capitis, vertigine, perpetuis vigiliis, epidemicis febribus, diſſecto coram plurimis hominum mortuorum capite, ſpeculati ſunt, Corn. Gemmam (*r*) Paracelſum (*s*) Ballonium (*t*) Duretum (*u*) Foreſtum (*x*) Schen-

(r) *De nat. divin. characteriſm.*
(s) *Paramyr. lib. 2. paragr. 2.*
(t) *Parad. 19.*
(u) *In Holler. lib. I.*
(x) *Schol. ad obſ. 2. lib. 9.*

Schenckium (*y*) Rolfinkium (*z*) Mouffetum (*a*) Garnerum (*b*) Sammichellium (*c*) Th. Bartholinum (*d*) Dom. DeMarchettis (*e*) Casalium, Spinellium (*f*) Andrium (*g*) Conradinum (*) Coiterum (**) Peucerum (***) Imò in pineali glandula Hartsoekerum (*h*) totque Alios; hos inquam omnes fac, viventia a non viventibus, insecta a non insectis, seu a polyposis, *gelatinosis*, pulposis aut aliusmodi corporibus, distinguere nesciisse. Atqui sinè inexcusabili judicii errore id quoque sentire nullo modo liceret de illo recentium Anatomicorum sanè Principe, Friderico Ruyschio; qui, vel omnino Senex, in naturalibus rebus omnibus inimitabilis Lynceus esse nunquam destitit: Non vulgaris Auctor;

(y) *Tract. de dolor. cap.*
(z) *Dissert. anat. lib. I. cap.* 13.
(a) *In insect. Theat. cap.* 30.
(b) *Epitom. seu brachylogia Loimodes.*
(c) *Ibidem.*
(d) *Cent.* 1. *Hist.* 64. *& cent.* 111. *Obs.* 48.
(e) *Misc. Cur. dec.* 3. *ann.* 2. *Obs.* 53.
(f) *Ibidem.*
(g) *De la generation des vers Chap.* III.
(*) *Cap.* 10. *Febr. Ungar. theriod.*
(**) *In append. Obs. Anat.*
(***) *De Praest. Medicor.*
(h) *In Epist.* 1. *Ad Andrium.*

Non nimiùm credulus ; Sed rerum, quas ſcriptis mandavit , ſemper oculatus, ſummaeque ideò fidei teſtis : Qui praeter caeteras naturales omnes res, exordia inſectorum , ſedes , exuvias , metamorphoſes, progreſſus , naturas , ſpecies,quantum poſſibile , calluit : Quemque in iis ideò , quae vidit , deſcripſit , delineavit , aberraſſe, nemo unquam ſanae mentis proferre auſerit . Hic ſanè Vir , cum vermes non tantúm in cerebro , celebrium Auctorum teſtimoniis conceſserit , ſed in fellis folliculo , ductuque hepatico & cyſtico vervecum , & in arteriis equorum inſpexerit (*i*) ; tum veró praecipué , vermes ipſemet aperté oſtenderit, non ſolùm in animalium cerebro deliteſcentes, ſed in partibus, cerebro ipſo magis reconditis , minùsque exteriús apertis, ſeu in majorum duriorumque oſſium medullis & penetralibus ; dubium certè omne pertinaciori Cuilibet aliquando ſuſtulit . Quare graviſſimas ejus Obſervationes , ad noſtrum abſolvendum opus , adamuſſim tranſcribere libet.

Ruyſchii, De ab diis hominum brutorumve peregrinis vermibus , aliiſque animalibus aut eorum partibus, Obſervationes.

„ Neſcio (*l*) an Medici , atque natu-
„ ralis hiſtoriae ſtudioſi, invenerint un-
„ quam aliquid , quod magis apparet
ad-

(i) *Obſerv. Med. Chirurg. LXIV.*
(l) *Frid. Ruyſch. Adver. Anat. Dec. III. n. VI.*

„ admirandum, quam id, quod jam de-
„ ſcribam. - - - - Ego certe ubi rarum
„ hoc, neque creditum mihi unquam
„ ſpectavi phaenomenum, obſtupui at-
„ tonitus, vix mihi met, propriiſque
„ oculis credens, dum inſolitam, &
„ inauditam rem contemplor. Suaſerat
„ mihi ſaepe imo & urſerat clariſſimus
„ Boerhaavius, ut acriter inquirerem in
„ fabricam interioris partis oſſium, quae
„ membranas, vaſcula, medullam horum
„ continet, ſemperque dixerat; eſſe ibi
„ multa, quae diligentiſſimi Malpighii
„ induſtriam, atque Haverſii ſagacita-
„ tem, ſubterfugerant ad hoc uſque tem-
„ pus. Ego qui maxime occupabar in
„ molliorum partium fabricâ rimandâ,
„ tandem toties inſtigatus ab Amico meo,
„ parui; atque perſcrutandis imis oſſium
„ meditulliis me dedi per longum ſatis
„ tempus, noctes dieſque impendens his
„ ad intima uſque perſpiciendis - - - - -
„ Vidi enim reſiduas, vel depoſitas ex-
„ vuias veras chyſalidum dictarum vel
„ Nympharum apud Zoographos. Teſtu-
„ las, ut ita loquar, ajo me reperiiſſe,
„ quae integumenta fuerant viventium
„ olim animalium. Erant primó tam
„ exiguae hae pelles, quas mihi ibi la-
„ tentes oſtendebat Artifex egregius, cu-

„ jus utebar dexteritate ad offa haec ser-
„ râ juxta longitudinem secanda, ut fa-
„ cilé effugissent meos oculos, nisi fuis-
„ sem utcumque peritus historiae inse-
„ ctorum. Incitatus primo hoc casu, fur-
„ rexi animosior ad introspicienda ossa,
„ statimque inveni in cavitate ossis fe-
„ moris, & in osse humeri eadem ani-
„ malcula, ut in asservatis hic domi
„ meae cuilibet curioso ostendere prom-
„ tus sum. Ultra pergens, spectavi haec
„ non modo in ossibus adultorum, sed,
„ & in osse tenelli Infantis. Ita quidem
„ ut in octo distinctis ossibus jam ea
„ ostendere queam. Id veró memorari
„ quoque meretur, chrysalidas has non
„ unius modo sed triplicis, & diversae
„ fuisse speciei, ut in figurâ depingendas
Vid. Ruysch. Dec. III. Tab. I. Fig. I. „ curavi. Non quidem recentia erant
„ haec ossa, attamen undequaque inte-
„ gra ita, ut nihil penitus inesset, quod
„ corruptionem ullam, aut putredinem
„ referret, ut domi meae in Thesauro
„ novo videri potest. Siquis rogitet,
„ quánam in cavitates has talia ingredi
„ possint, ego vicissim rogabo per quam
„ viam in arteriam magnam sub corde
„ integer fasciculus oblongorum imple-
„ xorumque inter se vermium factus sit
„ ingressus? Hunc tamen vidi, atque
de-

„ descripsi: Undé in ovario muliebri „ series dentium? undé lumbrici lati, „ & triginta ulnas longi in corpore hu„ mano? unde crus Infantis in Athero„ mate placentae uteri? undé sex pingues „ crassae erucae in cerebro ovillo? undé „ animalculum quadrupes crumenula „ coercitum rejectum vomitu? Haec ta„ men omnia vidi sic ibi nata, partim„ que in novâ collectione asservo partim „ in Thesauro Imperatoris Russiae servan„ tur. Haec vix videntur fide digna. „ Sed legisti aliud olim quod scripsi. „ Vir egregius implorans meum consili„ um accedenti ostendit multas chrysa„ lidas parvas, quas cum urinâ suâ re„ jecerat quotidié, quarum mihi nonnullàs „ dabat in Pyxide ligneâ, ut in rem „ inquirerem. Dum die sequenti pyxi„ dem aperio, multa per eam volita„ bant exigua animalcula depicta in „ Thesaur. Anat. I. Omnia haec qui pon„ derat, mecum, opinor, fatebitur, „ scientiam omnem, quam huc usque „ de rebus naturalibus habemus, nullo „ modo attingere posse modum, quo tam „ mira efficiuntur quae fieri tamen vi„ demus &c. . . . . . Saepe numero con„ querentes audivi optimâ fide homines „ de intolerabilibus in ossibus femoris, tibi-

Erucae, similes nostris, superius descriptis, a Ruyschio in ovillo cerebro repertae.

„ tibiae, humer, brachii doloribus, ne-
„ que tamen eorum atrocitatem augeri,
„ licet affectas partes premant, tundant,
„ tractent; Interim ſunt violentiſſimi in-
„ terni dolores. Dixi ſaepè his imis hae-
„ rere malum medullis, quin & ipſi hi
„ aegri verbis exprimere conantur ve-
„ rum rei ſenſum, dum ajunt in ipſa
„ oſſis mole ſedere, quod ſentiunt. Quia
„ tales veró reliquiae hujuſmodi animal-
„ culorum in mediis oſſium cavitatibus
„ deprehendimus; fortè liceret credere,
„ produci illa tormenta ab inſectis exi-
„ guis, ibi ſtabulantibus, quae morden-
„ do, rodendo, terebrando exedant te-
„ nuiſſimam membranulam, quae me-
„ dullam ibi contentam ambit. Certè de-
„ functis hiſce nulla eſt occaſio intima
„ horum oſſium perſcrutandi; attamen
„ certo conſtat, dolores hujuſmodi uſu
„ Mercurii, ut veri contra omne ver-
„ mium genus antidoti, perfecté ſanari.
„ Affirmo bonâ fide ſanaviſſe me multos
„ homines, qui multos per annos dolores
„ enormes oſſium paſſi, nullam tamen, vel
„ minimae labis á lue venereá ortae ſuſpi-
„ cionem dabant, vel ſignum, idque ope ar-
„ genti vivi. Forſan tum haec animal-
„ cula occiſa. Sed nec illud ultra mo-
„ dum problematicum dictum eſt; Ma-
net

„ net tamen intereà certissimum, chry- „ salides hasce ibi in cavernulis ossium „ latitare, sed & verissimum quoque est „ ossa illa undique integra, non rosa, „ terebrata, cariosa, rupta fuisse: Quin „ & nulla vel minima in iis spectatur „ apertura, aut rima vel minima prae- „ ternaturalis. Denique in osse humeri „ Infantis unum modo annum nati re- „ perii easdem. Si autem dubitet quis „ de rei veritate, caeterisque memoratis „ circumstantiis, hunc ego domum meam „ invito, huic ajo, veni, & vide &c. „

Quod non repugnat rationi, & fidâ observatione constat, id in naturali Historia verum dicendum.

Plurima addit Ruyschius, quae omnia hîc transcripta referre non est necesse: Cum huc usque allata satis superque ad rem faciant. Quamquam veró non omnia, quae ad morbosam generationem comprobandam attulimus, a nobis ipsis inspecta fuerint, imó plura ab Aliis tantùm accepta retulerimus; non tamen ex iis sunt, quae nullam apud cordatos Viros fidem invenire debeant. Nam & nos illum risu exciperemus, qui ab olfactu Basilicae herbae, in cerebro humano (*m*) exortum fuisse scorpionem, & his similia, pro veris venditaret. Siquidem haec rationi non tantùm non sunt consentanea; sed etiam repugnant. At quae a nobis visa

(m) *Hollerius*

visa non sunt, sed tamen á Viris fide dignis, eademque non solúm non repugnantia, sed possibilia, imó clariss. Scriptorum rationibus & experimentis comprobata accepimus; illa sunt, quae nos pro veris habemus; & quae nostro huic opusculo inseruimus.

Opusculum, si caussae excitentur, augebitur. Jamque opusculum exegimus: In quo brevis tantùm notitia continetur triplicis generationis, naturalis nempe, vitiosae, atque morbosae. Has omnes generationes in Humano corpore contingere nemo est qui ignoret. Quod ad primam & secundam spectat, ea diximus, quae experimentis, & *anatomicis practicisque* observationibus comprobata, meridianâ luce clariora Multis videbuntur. Quod autem ad tertiam generationem, quam morbosam nuncupavimus; aliqua sunt, quae non facilem apud historiae naturalis ignaros fidem obtinebunt. Ast quid mea? Vel enim quis credat, vel dubitet, vel neget; quod mihi proposueram perfeci. Nam hâc in ultima parte, cum ea dicenda forent, quae ad generationem morbosam spectant, illam scilicet, quae in humano corpore a principio, hominibus non naturali fit; quaecumque nobis ex iis, quae attulimus, concedantur, Scopum attigimus. Plurimúm, opus

opus hujusmodi crescere potuisset; Si pensum, quod hîc non nisi breviter tractandum suscepimus, fusiori calamo exposuissemus. At, si occasio tulerit, opus hoc, multis observationibus adauctum, in novam lucem emitti non valde operosum esset.

ILLUSTRISSIMO VIRO, HONORATISSIMOQUE PRAECEPTORI,

JOH. BAPT. BIANCHI.

Dominicus Gallina.

Regiae Domus in venaticis Aedibus Medicus S. P.

CUM ad te, Vir Clarissime, quidquid praxeos in me est, referre debeam; & te semper cognoverim earum praecipuè rerum, quae magis admirandae sunt, amatorem; tres idcircò, quos ipse in Medicina facienda curiosè diligenterque observavi, neque ingenio tuo tuâq. animadversione indignos casus, brevitèr descriptos, ad te mittere statui. Puer Septennis, inops, pituitosae Constitutionis & melancholicae, lentâ & assiduâ

ſiduâ febriculâ pluribus jam menſibus detentus, longiſque abdominis viſcerum obſtructionibus emaciatus, menſe junio ſuperioris anni 1717., latum vermem, ſeu taeniam, quatuor palmorum longitudinem excedentem, per anum excrevit; quae ab una ad alteram extremitatem alternis gradatiſque extenſionibus, & contractionibus ſe ſe dimovebat; & nonniſi poſt quinque horas, ab omni motu deſtitit. Ejus caput amplum & rude videba-
Fig. III. tur: Os autem apertum, ſuperiorem inferioremque partem valdè obtuſas referebat; ita tamen, ut ſuperior minùs obtuſa videretur. Inſuper rugae quaedam & velut irregulares notae, per caput, collum & corpus apparebant. Aliud verò extremum, ſeu cauda, latius occurrebat. Poſt aliquot dies alia taenia longé major per eaſdem vias educitur: Quae undequaque deflectebatur, & tanquam fugam affectans, hinc indè incedebat. Haec verò poſt quatuor horas extincta quoque eſt, & a ſua, quam vivens habuerat, longitudine & latitudine aliquantum receſſit. Hanc tibi, Vir Sapientiſſime, ut meliùs, quae ipſe deſcribo, percipias, & inſuper alteram, integrè ſervatas, tranſmitto. Planum in hac ultima perſpicies corpus, regularibus nodis, ſeu geniculis aequalitèr ferè diſtan-

distantibus interstinctum ; aequalis undique latitudinis ; nullibi maculatum;sed albicans ; & instar corneae subtilis laminae perlucidum. Lunatam, obtusam , salebris conspersam vermis extremitatem , pro capitis loco statuens , me multúm a vero non aberrare puto . Nam etsi nullum os , nulli oculi , nulla nasi eminentia aut sinus , in hac ultima appareat ; ibi tamen esse caput nihilominus putavi; eò quód ab hac parte motus inchoabat; & ad alteram usque extremitatem , succedentibus invicem contractionibus atque extensionibus , procedebat . Insuper haec pars identidem supra truncum erigebatur: Ut in humani corporis teretibus vermibus , & in terrestribus , qui primitùs caput erigunt , etiam fit. Capiti latius collum subjacet ; levioribus sed creberrimis incisuris distinctum : Quae indè per trunci progressum usque ad caudam rariores, & conspicuae magis , ac regulares occurrunt . Haec omnia , & insuper aliud extremum , seu caudam , in latum desinentem , ab ipso Archetypo videre potes. Digna observatione existimabis stamina , ad hanc usque diem in hac taenia velut adhuc subrubra , in parallelas series creberrimé disposita ; ipsaque finitima genicula , productis ad utraque aequalibus partibus , firmiter nectentia. His positis , *Fig. IV.*
tae-

taeniam hanc, praeter ſuperiorem, unicum reverà, latum gracileque animal eſſe; non autem plura ſimul annexa & haerentia minora animalia, abſque ulla dubitatione ſentio: Atque eò magis, quò inſolubiles articulorum in tota ejus facie continuitates, praecipué per memoratos externarum fibrarum connexus, adhuc poſt multos menſes, ut vides, perſiſtunt. Inſuper cum animadverterem, utriuſque deſcriptae taeniae motum, regularem, uniformem, & *ſucceſſivum*, ſeu reverà, ut aiunt, *vermicularem*, & motui vermium teretium omnino analogum; quo ſcilicet à capite per collum, truncum & caudam, *ſucceſſivis* & reciprocis contractionibus moventur; An non unicum eſſe animal judicem? At taeniam primò excretam, graciliorem, & breviorem alterâ, quae ultimò excreta fuit, conſideres, velim. Puer autem duplici hac taeniarum excretione non multum ſolaminis accepit: Immò iiſdem ferè affectionibus praegravatus, valde pallidus, & vix non cachecticus vivit. An veró id ex aliis taeniis, *inteſtinali* adhuc in tubo deliteſcentibus; vel potiús ex praeviis morbis proveniat, tuum ſit decernere. Jam veró ad tertiam obſervationem devenio: Cujus apud Auctores ego nullam hactenus ſimilem legi. Adoleſcens annum aetatis ſextum decimum agens

ſericae

ſericae arti operam navans, naturâ pituitoſus, multumque ſomno indulgens, IV. Idus Septembris eodem elapſo anno 1717., paulò poſt prandium atrocibus torminibus corripitur; quae duabus horis *epigaſtricam* praecipuè regionem excruciarunt. Accedebant vomitus: Quibus opportunè ſedandis Theriacam & Diaſcordium adminiſtrabam: Sed ab iis ita potiùs acui viſi ſunt vomendi conatus; ut tandem unâ cum cibo aliquo recèns ſumpto, & *putriformi* quodam liquamine, animal, formâ inviſum ejiceretur. *Fig. xiii.* Bombyci breviori proximum dixiſſem; ni capitis caudaeque fabrica, atque annulorum ſeu inciſurarum numerus variaſſent. Caput etenim accipitris formam, praegrandi, acuto apertoque roſtro praeſeferebat: ex quo ſubater liquor & oleoſus continuò manabat. Dum verò Bombycis corpus undecim compingitur annulis ſeu inciſuris; noſtri hujus monſtri dorſo decem & octo velut nodi, ſeu annuli aut articuli, accumbebant, ad totum truncum non aequales, ſed versùs ventrem valde extenuati, ac ferè evaneſcentes. Intereà undecim tãtùm utrinque crura; atque ex cruribus obtuſi pedes, iis majoris numeri articulis reſpondebant: Pedes & crura piloſa: Piloſum etiam univerſum Corpus: Cauda furcata: Color undique obſcuro-cinereus, parvis ſubnigris maculis variatus. Vermis longitudo infra

mino·

minoris digiti longitudinem; ejuſque agilitas ſumma. Nam pluribus horis eum, ad inſtar piſciculi recéns aquâ extracti, ſaltantem admirati ſumus. Eruptum e ſtomacho adoleſcentis inſectum & vivens, vivum ulteriùs ſervare curabam; proindeq. varii generis eſcam appoſui: At, cibis omnibus rejectis, ſolis lactucae foliis, eidem ſorte porrectis, avidè veſcebatur: Quo ſolo cibo contentum, in pixide clauſum, quatuor integris diebus ſervavi. Quintâ vero die, domum, quâ egreſſus fueram, revertens, lumbricum non ampliús inveni; Nec deinde ulteriorem de illo notionem habere potui. Porrò cum antequam hoc animal amiſerim, necem & conſumptionem t mens, ejus imaginem curiosè deſignari curaverim; eam tibi, Praeceptor Doctiſſime, lubentèr tranſmitto: Ut eam cum iis conferas, quae mox ex Archetypo deſcripſi. Adoleſcens, excreto animanti, vomitus aliquandiu ſuſtinuit: Quod nos in ſuſpicionem induxit, alios fortè ejuſdem generis hoſpites ſtomacho adhuc includi. Sed ſumpto *paregorico* remedio quodam & ſemine ſantonici, non nihil quievit: Et paulò poſt ab omni moleſta affectione liber ſurrexit. Plurima ſuper hac re Tibi inquirenda relinquo, Vir optime. Atque ut me amare pergas, etiam atque etiam rogo. Vale. Dabam ex Regiis venaticis Aedibus XVIII. Kal. Februarii MDCCXVIII.

TA-

TABULARUM EXPLICATIONES

Tabula I.

OStendit humanos naturales conceptus, ab ovo usque ad provectos foetus; & foetuum nonnullas partes.

Prima, atque altera Figura, binas exhibent ab humano eodem *Ovario* extractas diversae magnitudinis vesiculas, seu ova, non adhuc foecunda reddita; & in diversas facies perspecta.

Fig. I. Vesiculam depromit, seu ovum adhuc immaturum, seu minus; atque ad id lateris appositum, quo utriusque emisphaerii, seu opaci & a *placenta* obtecti, simulque pellucidi seu liberi, aequa pars sub oculos veniat. Ita *a.* emisphaerium est, *placentae* cortice involutum: *b.* emisphaerium non involutum.

Fig. II. Majus seu maturum ovum aperit; ejusque positionis, ut solùm perlucidi, seu a *placentae* adhaesione liberi, emisphaerii spectanda facies porrigatur: Ad hanc vasa, nunc magis nunc minùs rubra, eleganter reptantia visuntur: Quae non solùm in ovis omnibus per *opticum* vitrum; sed in pluribus sinè vitro apparent. Ornata extrinsecùs vasis rubicundis ova omnia, primo aspectu videbantur in femina, superiori Octobri uteri inflammatione denata. Porrò in horum ovorum, aliorumque similium, cavitatibus, quamquam multo liquore plenis,

nihil adhuc ſolidum liquori innatans videri poteſt. At verò ad eorum ambitum binae jam diſtinguuntur tunicae, ſeu chorium & amnios: Maximeque ſi cocta ova fuerint. Atque hic a ſubjecto amnio ſolutum chorium atque ſubverſum exhibetur.

*, Calix *ovarii* eſt, ſeu rotunda cavitas, in qua veſicula, ſeu maturum iſtud ovum continebatur; cum *vaſculari* aliqua ejuſdem *ovarii* ſuperſtite ad latera ſubſtantia. In hoc folliculo *villoſo-vaſcularis* apparet reticulus: Nihil luteum, nihil glanduloſum. Calicis cavitas juxta incrementa matureſcentis ovi facilè expanditur. Calices omnes ad *ovarii* tunicae contactum obverſi ſunt. Ovum, quod ſatis maturum eſt, ita ad hanc tunicam libero ſuo emiſphaerio protuberat, eamque premit & extenuat; ut per hanc, inſtar *talci* aut vitri perlucidam, tranſpiciatur: Foecundatum verò cum fuerit, tunicâ ad ſubtilitatem ſummam deventâ, per cedentes ejus facilèque diductas fibras, ut gemma per diductas corticis plantarum fibras, egreditur. Vacuatus indè conſpicitur calix; vacuoque calici ſuperpoſita extrinſecùs, inſtar cicatricis, corrugatio: In cujus medio foramen plerumque diuque ſupereſt. Per haec foramina, iiſque reſpondentia vaſa illa, quae per anticum ovorum emiſphaerium diffuſa eſſe, ſuperiùs Fig. II. oſtendimus, generationis aperiri ſemita videtur. Nam virilis ſeminis fumus ſeu ſubtiliſſima pars, uſque ad *ovarium* per admotam tubam traducta, per patentiori oſcula, quae quidem maturiorum ovorum ſunt, in ipſum ingreditur: Ingreſſa, ad vaſorum eorum proceſſus, cum foramine communicantes pervenit

venit; in quos pariter introgreditur: Hi cum *umbilicalibus placentae* vasis continui sunt. Ideò per *placentae* vasa spiritus ille insinuatur in foetum: Et in hoc vitales motus illos omnes excitat; quibus postea solemnis motus circuli, seu machinalis animalium fiat: Qui priùs in *embryone*, cordis atque arteriarum embolis quiescentibus, vix simplex mechanicus, & tanquam plantarum ordinis, fuerat.

Fig. III. Humanus *embryo*, quem, antè conceptionem, in vesiculae seu maturi ovi parte perlucida, per *opticum* vitrum explorata, sub incerti, obscurioris, inflexi corpusculi forma, sibi obvium fuisse factum, nuper ab Amico accepimus. Hic verò nos, nostro suspenso judicio, exemplar hujus ovi, simplici lente adaucti, velut ab Amico transmissum est, repraesentari curavimus.

Fig. IV. *Embryo* post tertium aut quartum a conceptione diem, jam nudo oculo sub minutissimi vermiculi specie apparens. Complectentis ovi figura, antea globosa, nunc ab ejus in uterum aditu, jam ad ovatam accedit: An non igitur eadem vesicula, seu ovum idem est, quod in primis figuris exponitur, a maturitate indèque a *foecundatione* tantummodo elongatum ac dilatatum? Porrò qui in I. Figura minoris ovi medium occupans, *placentosus* cortex aspicitur, idem quoque adauctam hanc vesiculam, ad proportionem auctus complectitur. Hic utrumque, seu ovi atque *embryonis* corpusculum, sub naturali forma & magnitudine exhibetur. Haec a Matrona nobis familiari, quarto ab expletis catameniis die, per abortum exclusa, nostris in cimeliis diligenter

Dd 2 ser-

ſervantur. In iis verò, quae demonſtramus, an non illam perpetuam, quam tam ſollicitè Natura intendit & poſtulat, viventium omnium germinum analogiam luculentè intuemur? Nam (missa quam jam oſtendimus, ſimillimâ plantarum re) cum majorum volatilium animantium germina, in vitellorum veſiculis, antè & poſt *foecundationem* conſpicuis, racemo appenſis, ſita ſint; minorum porrò, ſeu inſectorum, é ſuis quoque veſiculis, eodem modo manifeſtis, prodeant; tum verò piſcium germina in illis quoque perſpicuis veſiculis ſedeant, quae volatilium vitellis, & inſectorum ac terreſtrium animalium veſiculis conformes, a feminis deponuntur, indeque a maribus inſperſione foecundantur; cur humanum germen extra propriam veſiculam, quae pariter antè & poſt conceptum aequè perſpicua, aliiſque modis omnibus illarum conſimilis eſt, ſeu in inviſibili quodam luteo glanduloſo, effictо ab ea diſtincto corpore reponetur? Tanti in viventibus generationum concentus, ſubverſione quid opus eſt? Luteum glanduloſum Corpus *ovariorum* muliebrium, ſimile eſt glanduloſo *cutaneo* corpori. *Cutaneae* glandulae ab aliquibus Fautoribus inter cutem & cuticulam, ab Alteris inter cutem atque adipoſam tunicam, a Tertiis in intima ipſa cutis ſubſtantia, ſtatutae ſunt. An non haec tanta de earum ſede diſcordia, earum quoque commenti, fidem facit? Luteae glandulae, ab Alteris unâ cum foecundato ovo in uterum delabi, ab Alteris in *ovario* conſtanter manere, praedicantur. An non ita adverſae ſententiae, fucum redolent? Quibus etenim credendum

eſt

est? Qua de re, quemadmodum Cl. Ruyschius, qui ab initio, praejudiciis dominantibus arreptus, *cutaneas* glandulas videre se ac demonstrare putabat, rem dudum ac diligentiùs perscrutatus, denique has glandulas nullas esse, tute asseruit atque revera demonstravit; ita qui Primus de lutea muliebrium *ovariorum* glandulosa substantia locutus est, si hac aetate scriberet, suum hoc inventum, ut de alio suo adiposorum ductuum invento lubenter fecit, lubenter desereret: Maximèque si, iis nostris, quae demonstramus, ritè perspectis, adverteret, quanta pulcherrimae *providentissimaeque placentulae*, ab humanarum rerum primordiis muliebre ovum amplexanti, foventi ac nutricanti, injuria inferratur; quoties haec eadem in hujus ovi *foecundatione*, lusu Hominum tollitur, commentitia subrogatur; ipsaque cum in uterum ducta, unà cum secundinis aliis accrescat, suamque operam compleat, eademque sit semper, quae in *ovariis* extiterat; ipsam non esse, nimio certè convicio affirmatur.

Fig. V. Clarior humanus vermis; seu foetus post VII a conceptu dies, à folliculo suo extractus, & manifestum vermem repraesentans: Ad naturalem idcircò formam ac magnitudinem delineatus. In hac quidem icone, praeter ovi seu folliculi figuram jam satis ovatam redditam, vermis partes singulae conspiciendas se praebent: Equidem gracilis, longus ac levigatus truncus, in longam acutamque caudam desinens, & nulla artuum vestigia, verminosam revera fabricam praeseferunt. At grandiusculum caput cum subjecto collo, quod

trunco gracilius est, eique & capiti adeo interponitur, ut capitatus jam truncus dici queat, humani quidpiam jam redolet: sum maxime, si faciem jam speculemur. Namque in

Fig VI, Idem VII dierum foetus, *optica* lente adauctus & inspectus, praeter alias, quae nitidius spectantur, partes, jam quaedam in facie, humana vestigia porrigit. Vermis igitur trunco, non capite est: Seu homunculus est, in vitae scenam sub *vermiformi* larva primùm prodiens. Hic insuper conspicua fit hujusce vermis foetus connexio per latum ac velut *fascialem* funiculum, ad amplum quoque *placentae* spatium. *Placenta* diligenti opere praeparata suasque in partes soluta, tum verò ad haec, quae vidimus, folliculi faciei latera circumquaque

Fig. V. producta & expansa, elegantissimam suam *villoso-va cularem* fabricam patefacit; easque imprimis subtiles innumeras mirabiles radiculas, quas in subtiles quoque & innumeros uteri alveolos, pro succorum commerciis insinuare solet. Septem verò exquisitè dierum hujusmodi conceptum esse, ultra quamcunque dubitationis aleam est positum: Cum hic a castissima hujus Urbis clarique generis Femina, post totidem oppidò exactos ab ejus conjugio dies, fuerit per abortum exclusus. Hunc foetum, & abortum insuper, qui inferiùs sub XI Figura describitur, Laudatissimus Allionus noster nobis humaniter contulit; nobisque exactas eas, quas tradimus, utriusque *uterinas* aetates testificatus est.

Quamquam Hippocrates effatus esset [*a*] septem dierum foetum cunctis jam partibus instructum esse

(a) *Lib. de Carnibus*.

esse; superiùs tamen dixerat (*b*) foetum masculum antè trigesimum, femellam verò antè secundum supra quadragesimum diem *inarticulatos* adhuc apparere: Immò in foetu sex dierum neque vermiculi fabricam satis hactenùs videre valuit; etsi pro illa aetate plura jam viderit. Namque in illa, ut affert, tenellae *geniturae* excretione, quam ipse in cantrice Femina imperato saltu procuravit (*c*) humanum jam valde accretum ovum suamque pellucidam habitudinem deprehendit; & lucidum liquorem ovo inclusum esse, tum verò comprehensum foetum sub specie albarum crassarumque fibrarum, eique adnexum & eminentem umbilicum, & in umbilico jam sanguinem & tensam ex umbilico ambientem tunicam, seu chorium, animadvertit. Atque, si hîc obiter licet Medicinae Parentis honestatem vindicare. Quorsum Aliqui divinum Senem, feminae per saltum excretionem illam efficientem, infracti jusjurandi insimulant? An non ipse eodem narrationis loco monuit, Hunc sex dierum foetum non animal, sed *futurum animal* fuisse; praeterea foetum masculum post triginta solùm, femineum post quadraginta duos dies, ad partium *coagmentationem* [seu vitam] pervenire? Non igitur Hippocrates abortum conscientiâ procuravit; cum sex dierum foetum, vivere non putasset.

Kerckringius *embryonem* trium aut quatuor a conceptione dierum describit atque delineat (*d*) qui potiùs cimicis, quàm vermis figu-

 ram

(b) *Lib. de nat. pueri*.
(c) *Ibidem*.
(d) *In Antropogeniae Ichnographia*.

ram praeſefert: Tum verò umbilicalia vaſa & ab eis coalitam *placentam*, quae vel in primis *embryonibus* revera ſunt, ab eodem excludit. Sed tam parvulae, tenerae ac penè diffluentes res, plerumque non ita ab adnexis aliis expediri queunt, atque ſervari; quin facilè ſolvantur, disjiciantur, aut confundantur, aut modis aliis deformentur. Nobis interea ſors contigit, delineatos hìc loci vermiculos invenire, expedire, intactos cuſtodire; & quotidiè omnibus oſtendere.

Fig. VII. Dierum circiter XII humanus vermis ſeu foetus, qui inſtar aureliarum aut nympharum in inſectis, aut vermis pulicis, crura explicantis & caudam retrahentis, reconditas priùs partes exerit; in binas exiguas papillas, quae brachiorum principia aut radices futurae ſunt, ad latera ſummitatis trunci jam primùm, inſtar gemmantis arboris, pullulans; totidemque ad inferiora *caudati* trunci latera emittens; undè femora, crura atque pedes naſc[redacted] ſunt. Cauda verò in hoc verme jam contrahitur atque exareſcit; ut parùm appareat.

Fig. VIII. XVI Dierum foetus, vermis formam jam prorſus amittens, & ad humanam accedens: In quo nempe truncus jam craſſior & brevior eſt, cum acuminatioribus ſuperioribus atque inferioribus tuberculis, ſeu in artuum exordia jàm elongatis; prorsús contractâ abſumptâque caudâ, & facie ad humanam compoſitâ. Cl. Andrius caudam foetus, ejusque indè amiſſionem, dignoviſſe videtur; cum de ſpermaticis vermibus loquens, eorumque figuram

ram describens, asserat (*e*) „ ce qui s'accor-
„ de avec la figure du foetus, qui quand il est
„ petit, ne paroît qu' une grosse tête sur un
„ corps long; qui semble finir par une espece
„ de queuë „ : Postea adjiciat „ Les vers sper-
„ matiques [quos ipse in virili semine primúm
„ collocat] ont tous de longues queuës, mais
„ ils quittent ces queuës lorsqu' ils devien-
„ nent foetus, il en est comme des petites gre-
„ noüilles, qui ne sont d' abord que tête &
„ queuë, & qui ensuite perdent cette queuë,
„ lorsqu' elles commencent a prendre la forme
„ sensible de grenoüilles „ Id verò non in so-
lis gyrinis, sed in brutis quoque aliis, lucu-
lenter comperitur. Vid. etiam Epistola Clariss.
Geoffroy ad laudatum Andrium. Illustrissimus
Abbas de Comitibus [Rispost. alla diffesa del
Libro delle considerat. del Sig. Nigrisoli] as-
serit: *Democritum memorasse vermes, qui sen-
sim humanam figuram su cipiant; Platonem ve-
rò id in Timei fine fuisse expressè locutum*. Cita-
tus Cl. *Kerckringius* in *embryone*, ut ait, seu
potiús in foetu quatuordecim dierum, superio-
res atque inferiores distinctos jam artus, ve-
lut appensas quasdam crassas, obtusas ac fe-
rè obtruncatas massas, immo trunco fermè
majores depingit. Sed cum foetuum XVI die-
rum ea, quam dedimus, genuina figura sit;
illa profectò, quae foetuum XIV dierum est,
accedere ad nostram, & a *Kerckringiana* re-
cedere compellitur.

Fig. IX. Foetus XX dierum, cum clariori quidem
humano aspectu, sed inferiori mandibula adhuc
valde

(e) *De la Generat. des vers dans le Corps de l'Hom-
me Ch. XII*

valde deformi; artubus verò magis elongatis; ſed hactenùs imperfectis, & ſinè ullo manuum aut pedum veſtigio, in conum deſinentibus. Cum verò in foetibus, incrementorum ratio nobis optimè comperta ſit; tutò ſtatuimus, foetum illum, a Celeb. *Dodart* in Comment. Reg. Pariſ. Acad. ann. 1701. exhibitum, ſeptem ſolùm linearum longitudinem aequantem, & trunco tantùm magnoque ac longo capite conſpicuum, neque adhuc in artus explicatum, non quidem propoſitae XXI dierum aetatis, ſed juniorem fuiſſe; ſeu potiùs ad noſtri foetus Fig. VII aetatem acceſſiſſe. Equidem mulierum, in ſtabiliendis ſuorum conceptuum exordiis, creberrimas allucinationes quotidiè dignoſcimus.

Fig. X. XXV dierum foetus: In quo clarior pedum manuumque conformatio jam ſuppetit; & prima digitorum veſtigia ſe produnt. Quòd igitur a Kerckringio foetus trium hebdomadarum, non ſolùm in ſceleton, partium omnium numero atque exteriori forma completum, ſed quoque in completos & ſatis diſtinctos promiſſosque manuum & pedum digitos inſtructus fuerit [*f*], id planè non intelligimus. Neque hercle divinare, quo nam modo oppoſitae foetuum ejuſdem aetatis rationes conciliari poſſent; ut quum Kerckringius Anglus foetum XXI dierum ita artubus, eorumque immo digitis aliisque partibus completum & integrum deſignat, Gallus Dodartius, ut ſupra, ejuſdem aetatis *embryonem* omnino imperfectum & mancum, ſeu ſinè ullo adhuc artuum rudimento deſcribat; niſi, ut dictum eſt, in gra-

(f) *Citat. loco.*

gravidis Mulieribus, dies suorum conceptuum numerantibus, calculandi error suspicetur. An forte, juxta varia ipsa Regionum ingenia, tardius quoque aut velociùs explicationes foetuum atque conformationes eveniunt; ut quae gentes toto inde vivendi tempore sunt, ita & primo sint dispares? Sed alia de Bidloi XXV dierum foetu excogitanda essent: Nam neque foetus ab hoc Cel. Auctore expositi faciei venustati eximiae, & excedenti membrorum omnium symmetriae, tanta illa ejusdem exiguitas congruere; nec tanta illa *placentae* ac membranarum confusio respondere, videntur [*g*]. Ita caeterorum qui ab hoc Viro Cl. exhibentur, foetuum capita & facies non equidem propria sunt; sed potiùs a natis, immò adultis Hominibus mutuata: Praeter varias, in quibus hi foetus eorumque sceleta, aliis tabulis proposita, deficiunt, proportiones ac dimensiones: Ut satis apposite de iis tantisque aliis atque magnificis anatomicis Tabulis, quas iste Vir super alios quoslibet evulgabat, Cel. Goelixio admonere placuerit: *Nonnullas plus speciei & splendoris, quàm veritatis habere (h)*. Sed missis aliorum foetibus, & ad nostrum redeuntes; propriam quoque hujus foetus *placentam* a membranis solutam, quam cum eodem foetu curiosè servamus, hîc objici curavimus: Lunata haec est, seu a descripto super chorium hemisphaerio já nonnihil contracta: In hanc inseritur lata, bre-

(g) *In Anatom. human. Corp. centum & quinque tabulis demonstrata, & in Theatr. Anatom. Mang. Tab. LXXIX.*

(h) *Histor. Anatom. p. 174.*

brevis & recta, ut in hujus aetatis foetibus esse solet, *umbilicalis* fasciola. In hoc tandem foetu, secùs ac in superioribus, jam humani trunci figura conspicitur: Et in trunco jam lumbi, ilia atque clunes distinguuntur.

Fig. XI. Abortus est XXXII dierum, gallinaceum exiguum ovum magnitudine referens. In hoc ovo accumbens & nonnihil inflexus foetus, cum lata, brevi pariter & recta *umbilicalium* vasorum fascia, sed velut pyramidata, mancisque adhuc artubus & imperfectis digitis, transpicitur. Abortus iste a primaria honestissimaque hujus Urbis Matrona, trigesimâ secundâ exactè die factus est, ex quo ipsa concepit: Cum ante & post primum ex iis diebus, Sponsus diù absens fuerit: Ut ideo hujusce conceptus dies omnino tuta sit. Hunc verò vitiosum partum a mala tunicarum conformatione, fortè & ab insolita *placentae* habitudine, fuisse productum verisimile est: Namque

a Est Chorion membrana, penitùs ab amnio distincta, atque in unam duramque molem constricta & inversa.

b b.b. *Placenta*, ab ovi circumferentia jam valde retracta, & modicam ejus partem occupans; tum in insolitos & valde distinctos lobos coacta: Quam ergo si Cel. Kerckringius spectasset, illam esse, vel in ipsis mulieribus obviam, *placentam*, in plures cotyledones seu eminentias, similes iis, quae in ruminantibus sunt, reapsè constructam ac divisam, ut aliàs dixerat. confirmare potuisset.

Caeterùm Angli foetus, mensem adepti, apud Illustriss. *Kerckringium* plus nostris profecere: In suis enim sceletis perfectos jam artus com-

completosque pedes, manus digitosque exhibent [*i*]. Quòd si id [ut antea lepidulè diximus] fortè a coeli & climatum differentiis penderet; cum Anglis nostrisque Italis intermedii Germani sint, inter tardiùs crescentes Italos & citiùs Anglos, Germanos quidem foetus medio quoque modo progredi oporteret. Interea Germani foetus, tres jam menses nacti, non solùm Italis nostris foetibus, unum tantùm mensem assequutis, vix [dempto capite] majores sunt, Anglis verò minores; sed neque digitos, neque immo manuum exordia illâ aetate hactenùs exeruisse, tum verò *placentam* nullam habere videntur: Et, quod ipsis omninò singulare esse apparet, eorum *umbilicales* funiculi ad *chorium* membranam desinunt. Haec enim habemus a Clariss. Heisteri figura *trimestris foetus*, novis suis *anatomici Compendii* editionibus addita (*l*).

Fig. XII. Foetus XXXVI dierum; in quo artus & digiti non satis adhuc excrevere.

Fig. XIII. Foetus XXXX dies assequutus; in quo artus eorumque extrema, neque omninò completa videntur.

Fig. XIV. Gemelli foetus L dierum, unà cum aliis foetibus in musaeo Auctoris servati: In quibus laudabilem capitis, trunci, artuumq; conformationem ac symmetriam videre est.

Fig. XV. Foetus duorum mensium cum dimidio, seu tertiâ aetatis parte gemellis superior; iisdemque tertiâ circiter magnitudinis parte major: Suam hic *placentulam*, *umbilicalibus* vasis adhuc connexam gestat: Atque *umbilica-lia*

(i) *In cit. Antropogeniae Ichnographia.*

(l) *Vid. Tab. VI. Fig. 27. ejusque explicatio.*

lia vaſa jam in funiculum contorta ſunt. Funiculus verò mediocris longitudinis, non adhuc plicatus fuerat.

Fig. XVI. Trium menſium triumque hebdomadarum foetus, in ea, quae communior magisq; naturalis eſt, *uterina* poſitione conſtitutus: Cujus collo, ut ſaepiùs contingit, *umbilicalis* funiculus circumdatus eſt; ad inferiora verò abſciſſus, plures interea jam flexus oſtendens.

Fig. XVII. Foetus, dies aliquot ultra mediam graviditatem geſtatus; jamque in utero verſus; atque ita in eo, defunctà Matre, repertus. Ex hac figura genuina habitudo uteri cum detento converſoque foetu dignoſci poteſt: Quamquam hujus uteri latera ad incluſum foetum, ob allatam in Hiſtoria rationem, certè nimiùm acceſſerint. Foetus verò ad clariorem rem, a propriis tunicis expeditus oſtenditur. Ejuſcemodi quoque ad foetum habitudinis eſt ille uterus, quem cum ſeptimeſtri contento foetu, Peritiſſimus in obſtetriciis Andreas Verna, & publicus noſter Anatomiae *Inciſor*, a naturae imagine in artificiale exemplar formavit; ſuaque inter elegantia & induſtria Anatomica Cimelia repoſuit. In hac noſtra Figura

a, Uterinae cervicis anguſtia eſt.

b, Vaginae uteri principium.

c, Imae cavitatis uteri ſiniſtra pars, ab accubitu & preſſione capitis converſi foetus exterta, elongata & extenuata: In qua quidem ſede ſuam ponderis ac fulcimenti baſim foetus infixerat.

Subver-

d, Subversum uteri [illegible] latus; in cujus [illegible] facie

e, *e*, *Placentae* pars adhuc connexa percipitur.

f, Inflexi a foetu ad *placentam*, & per maximam plicam revoluti *umbilicalis* funiculi pars.

g. *g*. *g*. *g*, Uteri parietum illo graviditatis tempore densitas: Et in hac confertissima sanguineorum discissorum vasorum, rotunda aut oblonga foramina.

Fig. XVIII Designat in septimestri foetu ilei intestini, coli, caeci & *vermi-formis* appendicis concursum ad naturalem magnitudinem.

a. Colon intestinum, in suo cum aliis intestinis concursu apertum.

b. Caecum, amplo *pelvi-formi* hiatu se aperiens in

c, *Vermi-formem* appendicem: Quae quidem in foetu amplissima est; tenuium scilicet intestinorum cavitatem aequans: Valde insuper longa; & imprimis una aut altera flexura plerumque complectens

d, Intestinum ileum.

e. Rudimenta in foetu *muscularis* annuli seu sphincteris, ilei finem in colon munientis, cum suorum ligamentorum vestigiis. Quum verò haec aperta communis intestinorum cavitas, ad clariorem imaginem praestandam, nonnihil quoque distenta fuerit; idcircò rotunda aut propè rotunda, quae solita est, sphincteris figura & cavitas, velut in oblongam evasit.

Caeterùm lenta illa tardissimaque humani foetus transformatio, ut a levi, trunco mutiloque vermis corpore, articuli post plures a conceptu dies vix prodere incipiant; hinc gradu insensili extuberent, crescant & producantur, praeter notas alias, falsitatis apertè convincit

hypo-

hypothesin illam Recentium multorum, quae vermes virilis seminis, integros homunciones esse, solùm involutos fasciatosque depraedicat [m]. Quippe cum, solutâ illâ apertâque homulorum fasciâ, toti subitò exilirent pendentes a truncò articuli; ut in volatilium animantium vermibus, ruptâ expeditâque chrysalidis fasciâ, papilio suas omnes simul partes confestim exerit evoluitque. Ita (quis crederet?) Humanus foetus in sua partium explicatione, plantarum potiùs, ut supra, gradatas explicationes imitatur: Ut in egressu ab *ovario*, *vegetabilium* quoque germinum exitum a truncò, assimilare ovum jam diximus. Idem de animalibus reliquis, exceptis volucribus, putandum est. Sed fortè volucres, cum sub chrysalidum, tum sub putaminum cortice, suam quoque non minùs lentam tardamque crurum, alarum aliarumque externarum partium, explicationem ac productionem ferunt.

De Ruyschianis Embryonibus *& Foetibus*

APPENDIX.

CElebberrimus Ruyschius, suis elegantissimis Tabulis plures variarum magnitudinum figuras foetuum adjecit: In quibus, tanquam minutissimis rebus, quaedam, ab ipsis, ut puto, Caelatoribus cum naturae imagine non omninò comparata, hìc adnotare liceat; Ex quo de summi hujusce Anatomici diligentia a que fide non esse dubitandum videtur. Et pri-

(m) *Vid. Figurae Dalempazii, in Novis Litterariis* Bernard *Artic. V. ann.* 1699.

primùm, in egregii hujusce Scriptoris Thesauro Anat. VII Tab. II Fig. IV Pusillus *Embryo*, formâ latoque trunco, pulli potiùs figuram repraesentare, nec solitam in ovo occupare sedem; tum verò *umbilicalis* funiculus naturali situ, figurâ & connexu minùs esse instructus videtur: Itemque extima chorii facies villosum *placentae* rudimentum non exhibet: Hoc tamen chorii vasculare tegumen Cl. Auctor superiùs in Thesaur. Anat. VI Tab. I. Fig. II & III haudquaquam omiserat. Quamquam in Fig. II, ad chorium majoris ovi, jamque in utero incubati, satis villosum, immò foliaceo tomento obductum, membraneus ille superductus Pileus aut velut lorica A, nobis sanè minùs constet; atque villosus seu *placentoso-vascularis* cortex ad totum ovi ambitum extendi videatur: Qui tamen naturaliter unum tantummodo ejusdem emisphaerium occupat; & in ovo jam ad uterum commorato ulteriùs retrahi videatur. Nisi intelligendum sit, oppositam, seu hìc non aspectam, hujus ovi partem, hoc cortice vacuam esse. Equidem Vir oculatissimus, in Fig. III, unam faciem ovi, a *vasculari* indumento liberam appositè satis repraesentat. Sed cum istud ovum, ovo nostro figurae V, ubi humanus vermiculus cernitur, majus sit; admiramur ideò, *in ejus cavo nihil solidi fuisse inventum*. Nisi fortè, absumpto per morbum in uteri cavitate foetu, ovum istud in falsum, ut dicunt, germen transiisset. Nostris porrò humanis vermiculis cum Ruyschianus *Embryo* Tab. II Thesaur. VII valde major appareat; non intelligimus, cur in illis tanta capitis immo faciei, humana jam for-

ma ſit; in hoc verò longe obſcurior & imperfectior. Ad Tab. II laudati Theſauri VI, ſi dependentes a prima figura *embryones* perluſtremus, quorum dexter, ut Auctor monet, ſeminis aniſi, ſiniſter verò pediculi aut lactucae ſeminis magnitudinem aequat, miſso in utroque *umbilicalis* funiculi ad locum non omnino debitum nexu, iterum non ſatis percipimus, cur iſti foetus, non ſolùm minori, ſed majori noſtro vermiculo revera craſſiores, non adhuc tamen in caput & truncum, colli interpoſitu, diſtinguantur: Quae tamen diſtinctio vel primùm ſenſibilibus *embryonibus* ſemper ineſse mihi viſa eſt. Immo dexter *embryo* noſtro figurae ſeptimae foetu, craſſitie, vix minor eſse apparet. Atqui in noſtro non ſolùm caput, ſed artuum primordia jam diſtinguuntur. Ita nobis eſt novum, ad Fig. II & III hujuſce Ruyſchianae Tabulae, *embryones* alios inſpicere, noſtro revera magnitudine admodum majores; in quibus non ſolùm latent articulorum exordia; ſed adhuc capitis cum reliquo corpore confuſio eſt. Interea in foetu ſeu *embryone* iis minore, qui figura V eſt Tab. III Adverſar. Anat. caput a carina, ſeu trunco, diſtinguitur. Neque in Fig. I Tab. III Theſaur. X ſatis a trunco dirimitur caput in foetu, qui decimum noſtrum, ſeu dierum XXV, magnitudine aequat. Et Fig. V foetum exhibet, transverſi digiti magnitudine, ſeu noſtro IX figurae XX dierum, majorem, cum vix proditis primis artuum extuberationibus. Mittimus dextrum illum pendulum foetum Fig. I Tab. III; cujus certe caput majus eſse debuiſset, Ut, cum ſiniſtro foetu comparatione

praeſtita

praestita; facilè videre est; & utriusque foetus nimis varios *umbilicales* funiculos: Et illum Thesaur. Anat. IV num. LIV, magnitudine digiti articuli; in quo pro artubus, rotunda, formâ & magnitudine instar capitis aciculae, corpuscula sunt; Quum foetus tantâ jam dimensione praediti, valde majores artuum productiones exerunt. Mittimus tandem distinctas jamq; coacervatas *placentas* in *embryonibus* minimis, vix tritici granum aequantibus; aliasq; *placentarum* res, cum foetibus non omnino congruentes. Porrò horum aliqua, non omnia, excusabat ingenuus Vir Advers. Anat. Dec. II. §. X.. Atqui non Ruyschio, nostrae aetatis Anatomicorum facilè Principi, neque *naturae lusui*, sed ipsis Sculptoribus, quae monuimus, tribuenda esse suademur: Qui nempe in Anatome, praecipuè interiorum partium, omninò hospites, subtiles illas atque minutas, quas non intelligunt, hominis res, rarissimè ad naturae imaginem conferunt; easque eò faciliùs, a vero declinantes, deformant, quò, aliquibus morosè demptis aut additis, propiùs ad Picturae leges ac venustates accedere affectant & putant. Adeo verum est, Sculptore, & Anatomico & sub Auctoris oculis sculpente, utendum esse. Sed cum junctae simul hae partes in Caelatoribus rarissimae sint; ita rarissimae quoque Anatomicae Icones occurrunt; quae sanè in veram ac naturalem rem impingãt. Atque nos ipsi ejuscemodi Sculptorum errores non semel passi sumus. Demum Ruyschius eos tantùm, quibus artus absoluti sunt, foetus; caeteros imperfectorum artuum, adhuc

de , homulus in u
aliquando incoeperit
nomen *embryoni* ci
tempore ovum jam u

(n) *Institut. Med.* Ge



Tabula II.

APerit Muliebres vitiosas generationes & graviditates; tum extra uterum, seu *testiculares*, *tubarias & ventrales*; tum in utero, seu molas, falsos conceptus, abortus, solutos foetus; atque insuper monstruosos.

In hac Tabula, pleraque delineata corpora, a propria, quae multa sit, magnitudine valde imminuta sunt; ut unà in angusto loco instruerentur: Secùs ac in prima Tabula, ubi singula, quae quidem minora sunt, in naturali dimensione sunt exposita.

Figura I. demonstrat incorruptum, simulque, velut in statu naturali fuisset, plenum & succosum foetum, annos prope quindecim extra uterum a Taurinensi Femina, duplicatà graviditate gestatum: Primà scilicet praegnatione novẽ menses in dextro *ovario*; Alterà duos menses supra annos quatuordecim, ad aream *mesenterii* servatum.

A. Foetus, carnibus, adipe & succis ita saginatus & gravis, ut plus quàm octo libras penderet: Atque ita matris abdomen occupans, ut, dorso anteriùs obverso, facie & anteriori corpore illius spinam respiceret: In cujus capite longi erant capillorum tractus in vertice: Neque obscura dentium in ore rudimenta.

b. Dextra manus, in pugnum inflexa, & ad summum caput arrecta.

c. Sinistrum brachium, mentum & oris caveam obtegens; ex quo manus vitiosè incurvata propendet. Super has partes supersunt adhuc ve-

ſtigia ſubtilis illius & mollis, ſimulque glutinoſae cruſtae, quae foetui in matris ventre degenti undequaque obducta, eodem inde extracto aërique expoſito, inſtar gypſi aquâ ſubacti, brevi induruerat.

d. Femur, & genu dextrum, ſingulari luſu ad caput elata & inflexa.

f. Siniſtrum crus cum femore extenſum, & totâ alterâ graviditate ſuperſtes in ſacco

*, Seu vitioſo utero, ad dextrum *ovarium* antea cõfecto, nunc verò contracto & extenuato; ubi foetus conceptus fuerat, primamque graviditatem expleverat.

g. Pars hujus ſacci, ſuperiùs ad ſummum internum foetus femoris latus adhuc connexa; ad latera verò coalita cum

h, Seu parte tenuis inteſtini.

i. Pes dexter vitioſae figurae, genitalibus virilibus partibus arctè accumbens; easque ita premens, ut explanaverit, & tanquam foliaceas effecerit.

k. Locus ad ventrem, cute & pinguedine nudatus; ut ſubjacentes *muſculares*, molles & humidae, ſimulque firmae ſolidaeque fibrae conſpiciantur.

n. Foetus Chorii pars.

o. Materni *meſenterii*, ſeu propriè *meſerei* pars, unà cum appenſa inteſtini parte *h.* ad inferiora devoluta; ut in ea perſpiciatur

p, Locus firmae junctionis cum Chorio: Cujus ideo ſoluti deductique lamina, ad hanc ſedem adhuc adnata perſpicitur.

Itaque cum foetus, praeter varios cum matris omento & peritonaeo connexus, *meſenterio* inſuper, tenui inteſtino, atque *uterinis* partibus

bus firmè alligatus esset; non sinè supremo viventis matris discrimine, extrahi ab ejus ventre per caesaream operationem potuisset.

Figura II exhibet eundem foetum, eà, quam tenuit in ventris matre, positione, seu ad ejus posteriora obversum.

A Foetus, dorsum obijciens.

b.b. Chorion & Amnios tunicae, in unum coalitae; foetum in matris ventre involventes, Hic autem sectae & inversae.

c. Fragmenta ad dorsum albidae illius crustae: quâ totam ejus corporis superficiem fuisse obsitam diximus.

d. Caput foetus; cujus quidem, ob sinistrum *parietale* depressum os, elevatumque dextrum, vitiosa, seu acuminata conformatio occurrebat.

f. Abruptus *umbilicalis* funiculus, sub cubito dextro traijciens, & adhuc in parte superstes.

g. Sinistrum femur, latè extensum versùs dextri *ovarii* materni saccum

*, Hìc apertum & nonnihil dilatatum: In quo integrũ crus, a femore propendens, adhuc recõditur.

h. Dextra matris tuba, inferiùs deducta; & cum lato ejusdem lateris ligamento, in eundem saccum concurrens, & cum eodem confusa.

i. Uteri materni fundus, ab accubantis foetus natibus compressus.

k. Sinistra tuba rigida & contracta; suoque latiori extremo cum superiori *ovarii* facie coalita.

m.m. Rotunda uteri ligamenta.

n. *Urinaria* vesica, ut in hac femina reperta est; & in iis, quae saepiùs pepererunt, reperitur.

Figura III explicat *tubariam* conceptionem, a diligentissimo Anatomico *Duverney* descriptam & delineatam, atque in Comment. Reg. Scien.

Parif. Acad. editam: In qua mafculus foetus in matris, cafu & febri demortuae, dextra tuba valde dilatata, fed ficca, & aliquatenus callofa, ita aridus deficcatusque inventus eft; ut velut omni fucco carens, balfamoque conditus videretur. Nec folùm ifte foetus, Sed tota etiam figura, multùm infra allatam ab Auctore magnitudinem, in hac tabula, ob ejus anguftiam, repraefentatur.

Figura IV. Siftit *tubarium* foetum, a Cl. Santorino in *Obfervat. Anat.* Cap. XI § XVI & XIX defcriptum, & in Tabula II Fig. III delineatum: Qui adhuc, praecipuè in artubus, imperfectus ita eft, ut neque ad primum conceptus menfem omnino perveniffe, ex noftro XXXII dierum foetu, qui primae Tabulae figuram XI facit, & cujus quidem conceptionis tempus certiffimum eft, praeclarè videatur. Interea ab eodem Auctore *tubarium* hunc foetum quinque menfium effe decernitur. Errorem verò non excufat *loci anguftia* ab eodem adducta, *ad aequum fuppeditandum alimentum longè impar*: Namque in *tubariis* conceptibus Littrii, *Duverney*, Vaffalii, Abrahami Cypriani aliorumque Scriptorum, tanta non fuit illius *loci anguftia*, ut, multo minori tempore multo plus auctis foetibus, aut faltem fatis completis atque explicatis eorum articulis, *debito fuppeditando alimento impar fuerit*. Ita foetus Abrahami Cypriani [fi quidem, ut Omnes depraedicant, in tuba fuerit] tam juftae maturaeque magnitudinis deprehenfus eft; ut fi in noftra hac Tabula, fuâ naturali dimenfione delineandus foret, haec quidem ipfi, vel uni, excipiendo impar effet.

Figura

Figura V oſtendit *ventralem* ſuperiorem conceptum in Taurinenſi Femina, inteſtinis ad uſque maturitatem ſuperſtratum, & ab iis per ſuccretam, inſtar ſupernumerarii *me enterii*, membranam, eidemque annexam *placentam*, alibiles ſuccos haurientem. Omnia ad naturae imaginem adumbrata; quamquam in hoc anguſto Figurae ambitu poſita.

a a. a a. Communia & propria abdominis integumenta.

b. Urinalis veſica, lotio turgidula.

c. Uterus craſſior, quàm in feminis utero non gerentibus inveniri ſoleat, repertus; cum propriis appendicibus, ſeu ligamentis rotundis & latis, *ovarioque* dextro; & tubâ dextrâ rectâ rigidâque, ſe totam ſuper ſuum *ovarium* inſolitè extendente; Tum verò

d, Siniſtrâ tubâ, ſuo etiam *ovario* ita ſuperductâ, ut ipſum obtegat; hinc intortâ, dilatatâ & obliquè aſcendente, ſuoque aperto tentorio, deductisque fimbriis, connexâ ad marginem corporis

e, Quod ſuperiùs ab expanſa foetus *placenta*, inferiùs verò a ſuccreta ſpongioſa membrana conficitur; atque tenuibus inteſtinis adnatum, ſuperiori limbo cum colo inteſtino nonnihil adnectitur. Tabum igitur ex hoc corpore foetuque corruptis, cum ſolutis immo capillis, per hunc, latum praeſtitum, adnatae tubae hiatum, ad uterum & pudenda deſcenderat.

f. Foetus, in ea reapsè ſede repoſitus, quam ipſum vivente matre habuiſſe, ſubjecta ei membrana, memoratae ſpongioſae rotundae appendix, totam ejus commenſurationem deſignans,

teſtata

testata est. Atque ex hoc foetus situ fieri non potuit, quin *umbilicalis* funiculus

g, Super dextrum humerum traduceretur. Materna caeterùm abdominis viscera, ob intrusam conceptionem, a naturali positione nonnihil quoque immutata videntur.

Figura VI porrigit costam, ex corrupto in uteri cavea disruptoque foetu solutam, & in uteri osculum delapsam; ubi primùm, non benè sumptâ aditus directione, nonnihil infixa est; postmodum ab accreta ad ejus extremum glutinosa, hinc gypsea, & demum velut calculosa praestita substantia, ita ad illam sedem ferruminata; ut omnino occluso tramite, mulier a suppressis putridarum foetus partium excretionibus penitus obruta & contagio infecta moreretur. Haec verò pars pertinet ad Cuneensem Historiam, pag. 139. indicatam.

Figura VII depromit *cahoticum* abortum duorum circiter mensium; in quo foetus omnino disruptus, suisque in partibus dissipatus, & pluribus quoque consumptus fuit. Et primùm, exteriores partes, seu secundinae, insolito modo dispositae, propriis litteris explicantur. Namque

a a, Chorion membrana est, albicans & valida, totum ovum, vel super ipsam *placentam*, obducens; seu caeteris secundinis exteriorem corticem praestans.

b. b. Ejusdem Chorii diductae partes.

c. Amnios membrana, deraso Chorio satis pellucida, ut per eam corrupti foetus membra, in contento liquore innatantia, confusè transpicerentur.

Placenta

d. Placenta. inter utramque membranam, Chorion videlicet & Amnion, extra naturalem ſtatum contenta: Cujus pars, dum aquis immergeretur, velut ſubtiliſſima lanugo apparebat.

Figura VIII. Foetus partes, ex abortivo ovo extractae, eàdemque poſitione exhibitae, quam in ovo amniique liquore obtinuerant. Variis porrò de notis dignovimus, foetúm hunc poſt hebdomadas aliquot extinctum fuiſſe & corruptum. Hoc verò animadvertendum eſt, ovum hujusmodi naturali hìc magnitudine fuiſſe inſculptum: Foetus autem partes omnes, ad nitidiorem figurae claritatem, fuiſſe ad duplum circiter adauctas. Ideo abortivum aliud ovum, quod in figura XI Tabulae I expoſuimus, & menſis unius duorumque dierum eſt, hoc eodem, quod nunc deſignatur, paulò amplius apparet: Illud nempe complexum eſt foetum, qui nullum omnino detrimentum antè abortum paſſus erat. Hoc autem, quod foetum jam dudum putridum continebat, tum ob membranarum *flacciditatem*, tum etiam quia aliqua liquoris amnios pars evanuerat, minùs turgidum minùsque craſſum apparet. Mulier verò abortum hujusmodi enixa eſt die XXIV Auguſti ſuperioris anni.

a. Caput, cui collum, humeri inſuper & brachia appenſa ſunt: Os apertum eſt. Lingua corrupta & ſoluta confusè dignoſcitur.

b. Dorſuales vertebrae, cum appenſis coſtis, a *lumbaribus* disjunctae.

c. Lumbares vertebrae; quarum extremis hinc indè appoſita adhuc crura apparebant.

d. Corculum, per amnios liquorem diſperſum.

Pars

e. Pars quaedam, confusa quidem: Quae tamen diligenter perspecta, hepatis aliquid repraesentare videbatur.

f. Pulmones, per liquorem pariter fluitantes; corrupti tamen, & penè soluti.

g. Glutinosa quaedam pars, perfectè albicans & duriuscula.

h. Intestina.

i. l. m. n. *Umbilicalis* funiculus, initio angustus, qui dum extenditur, amplior fit; ac velut tenuissima tunica vario modo complicata, universam deinde membranae amnios internam faciem involvit; eique adhaeret.

o. o. Ejusdem tunicae quaedam partes, viridi colore donatae; ob contractam fortassis corruptionem.

Figura IX. Mola primi ordinis, quae propriâ indebitâque accretione, conclusum foetum ita jam presserat atque calcaverat, ut in singularem longitudinem elongaverit atque extenuaverit.

Figura X. Mola aliùs ordinis, a nobis *cahotica* dicta; atque non semel perspecta: In qua nempe, fortè ab exordio conceptus, enormiter accrescentibus secundinis, confusa tenerrimi foetus, discerpta atque *cahoticè* dissipata membra partesque sunt.

Figura XI. Mola tertiae classis; seu adhuc cava, sed foetu jam prorsus vacua: Hìc etiam, ob Tabulae angustiam, fermè ad medietatem diminuta. In hac membranae & *placenta*, ut in superioribus, confusae, densatae atque induratae sunt. Ejus verò pedunculus, qui in uteri collo haeserat, non solidus erat, sed succretus atque coagulatus sanguis: Haec quidem Ruyschii

Ruyschii Fig. I Tab. I Thesaur. Anat. V dessumpta est: Ubi quoque ejus ita explicatio legitur „ exhibet iconismum secundinae uteri-
„ nae embryonis, praeter propter bimestris;
„ quae propter anihilationem, aut liquefa-
„ ctionem embryonis, aliquanto temporis spa-
„ tio in utero remansit, undè ab utero tem-
„ poris successu magis magisque compressa,
„ induruit; & sic nihil minùs quàm secundi-
„ nam repraesentat „

Figura XII. Solida exquisitè, seu quartae classis mola; nimirum se ipsâ jam plena & continua, absumptoque jam penitus foetu carneoque undequaque gliscente aggere, nullâ ampliùs sensibili cavitate instructa. Haec quoque a naturali, in quo quidem visa fuit, extensione imminuta est.

Fig. * Falsum (ut nominant) germen; idemque paucarum hebdomadum, inter ea selectum, quae non infrequenter nobis in praxi observantur: In quo nempe foetus absumptus, ac prorsus deletus est: Incolumes verò secundinae; & iis adhuc contentus amnii latex. Igitur

a, Vasculosa, & velut lanuginosa, elegans *placenta* est; alterum ovi emisphaerium adhuc fermè totum occupans.

b. b. Chorion, a subjecta amnii tunica expeditum & inversum.

c. Amnii, ad liberam ovi faciem solùm superstitis, circumferentia ita perlucida, ut in ejus sinu, praeter liquorem, nihil foetus superfuisse, praeclarè transpiciamus.

Celeberrimus Ruyschius humana germina, ita quoque intactis secundinis deperdita & dele-

ta obſervavit, atque delineavit: Ut illud, quod Fig. III Tab. I Theſaur. Anat. VI a ſiniſtra foetus ſceleti manu dependet: Hoc verò, *foecundatum ovum* denominat Vir Cl. *in cujus cavo nihil ſolidi inventum eſt*.

Figura XIII. Humanum monſtrum, ſeu foetus ſeptem menſium oblongâ adeo & portentoſâ calvariâ; ut Siamenſes Populi pileum certè eminentiorem non gerant. Adnotandum eſt, ita hoc caput a nativitate fuiſſe conditum. Namque tenellorum foetuum capita, ut ut bene conformata, ita interdum per artem produci poſſunt.

Figura XIV. Biceps Taurinenſe humanum monſtrum, tamen cum binis ſolùm brachiis totidemque cruribus: Servaturque apud Peritiſſimum Andream Vernam, *Inciſorem* noſtrum: Ut è converſo apud eundem quoque eſt foetus alius, ad Regias Venaticas Ædes ante aliquot annos natus, cum quatuor brachiis totidemque cruribus, ſed uno capite: Duoque alii, humano quidem trunco artubusque, ſed capite, bubonis aut noctuae inſtar praediti. Ante hos viginti annos in Pancalerii Pago, decem milliariis ab hac Urbe diſſito, Uxor Sebaſtiani Petiti, qui adhuc in vivis eſt, bicipitem quoque, cum non geminatis artubus, filium peperit: Atque aliâ graviditate horridius ſanè monſtrum, & cum iis, quae apud Salmuthum, Licetum, Aliosque in capite ſunt, comparandum, enixa eſt: Nigrum ſcilicet, cornigerum, ſeu inſtar demunculi apparens: Quod a partu ſtatim a Matre, Aſtantibus atque Conclavi fugiens, in externo quodam

lignorum

lignorum aggere se abscondidit: Ubi statim occisum est.

Figura XV. Monstrosus equino capite foetus; ad nos ex Casalensi Urbe transmissus; & in nostro foetuum armario servatus.

Figura XVI. Horridus & deformis partibus, atque praecipuè manibus pedibusque, bufonis aut ranae similibus, monstruosus foetus: Qui quoque nostris in Cimeliis est.



TABULA III.

EXhibet morbida animalia, in humano corpore commorata eorumque partes; atque aliquot muſcarum genera.

Figura I. Taeniae caput in muſaeo noſtro, balſamico liquore ſervatae; quod differt a

II, Seu capite illius taeniae, velut armillatae, quam Cl. Tulpius deſcribit & delineat. Tres ejusdem formae, integrasque a capite ad caudam taenias, mulierem excreviſſe ampliſſimus idem Auctor (o) Multorum viſu teſtatur: Docetque ideo, plures ſimul taenias in eodem homine ineſſe poſſe.

III. Caput alterius taeniae, nobis a D. Gallina tranſmiſſum; cujus pariter caudam

IV Accepimus: Haec nodulis quidem, ſeu geniculis conſtat, per fibras *longitudinales*, ac velut *muſculares* inter ſe connexis: Atque in latum deſinit.

V. Partes taeniarum, a nobis conſpectae habitaeque; nullis geniculis, ſeu nodulis diſtinctae; idcircò artificiales, lineas aut ſericas, taenias revera ſimilantes.

VI. Pars taeniae a Borrichio deſcriptae, & ſimilis a nobis quoque viſae: Cujus genicula, ubi ſimul nectuntur, ſerrata ſunt, ſeu denticulata.

VII. Cucurbitinus humanus vermis, non tamen recenter excretus; ideoque ad unam extremitatem jam corrugatus, & in apicem deſinens.

Alter

(o) *Obſervat. Med. Lib. II. Cap. XLII. Tab. VII.*

VIII. Alter cucurbitinus, nobis exhibitus ſtatim poſt excretionem, imò adhuc vivens, diligentiſſimè in hac Figura expreſſus: Ad cujus extremum *e.* binae ſunt inſtar corniculorum ſubtiles laterales productiones: Oppoſitum extremum aliud rima occupat *a. f. b.*; acuminato alterius cucurbitini vermis extremo commodè excipiendo, & ſi conſtringat, firmè ſervando, aptiſſima: Quapropter haec animalia, quo tempore generant, alterum in alterius rimam, ſinuoſum ſeu *corniculatum* latus implantans, nectuntur; & interdum catenam componunt; Quae ſecundi generis taenia appellatur. Ad latus *i.* foramen quoddam rotundum diſtinctiſſimè obſervatur: Quod intús progrediens versùs *c.*, probabiliter cibarii canalis extremum eſt.

IX. Animal, ab Homine per ſedem excretum, & ad aliquod tempus vivens in aqua ſervatum: Cujus figuram ab Amico, qui viderat & ſervaverat, accepimus: Atque hìc a naturali magnitudine imminutam exhibemus.

X. Vermis *viviparus*, a Muliere Taurinenſi per vomitum rejectus, nobisque a noſtrate Medico communicatus; mirae profectò magnitudinis: Ex quo adhuc vivente diſrupto, prodierunt vermiculi, qui jam viventes erant, & movebantur: Hìc quoque, ob Tabulae anguſtiam, naturali minor inſculptus.

XI. Muſca *vivipara*; & mortua ſupra cadaveris partem reperta: Ex qua leviter compreſſa viventes jam vermiculi

XII, Poſt alium alius, prodibant. Hi verò, unà cum muſca matre, per vitream lentem ad hunc iconiſmum adaucti ſunt.

XIII. Vermis quidam, a Med. nostro Gallina nobis per epistolam descriptus; atque icone transmissus: Qui ob similitudinem, *intestinalis* vel *stomachalis* eruca, aut etiam *bombyci-forme* animal vocari potest.

XIV. Insectum quoddam, muscae, aut potiùs scarabei formam exhibens: Quod, referente R.P. Bernardino nostro, Taurinensium olim *Capucinorum* Medico, inventum fuit Genuae, dum extincti Viri cadaver dissecaretur, in folliculo

XV, Venae spermaticae sinistrae foras adjacente, imò continuo: Quod ut prodiit, aliquot deindè diebus in vase vitreo vivens servatum & enutritum fuit.

XVI. Excreti per *urethram* vermiculi, mole & & figurâ tritici granum similantes: Qui quondam ab Alghisio etiam perspecti, *Renales* nuncupati fuerunt.

XVII. Minores vermiculi, instar majorum ascaridum: Quos a Sene cum urina excretos, aliquando conspeximus.

XVIII. Similes, sed minores vermiculi; quos Tulpius, cum urina pariter excretos fuisse, scribit & delineat.

XIX. Alia animalia, Eodem testante ac referente Tulpio, cum urina pariter excreta: Quae Idem *Renales* latos vermes appellat.

XX. Ascarides pudendorum muliebrium, a nobis perlustrati, ipsique Hippocrati dudum cogniti: Qui cum primis Tulpii *Renalibus* figurâ conveniunt.

XXI. Vermis, ab Hominis aure vivens egressus; atque ex naturali magnitudine primùm delineatus.

XXII. Idem, vitreae lentis ope adauctus. Auriculares vermes, quos Andrius delineat Tab. I. Fig. III, differunt ab iis noſtris; & potiùs volatiles eſſe videntur.

XXXIII. *Naſales* ſeu *Rhinarii* vermes; qui nempe ab internarum narium ſinibus, vi ſternutationum ejecti fuerunt: Et tantà quidem copiâ; ut XXXX dierum ſpatio CLXXIV numerati fuerint. Ex vermibus narium Tab. I. Fig. I. Cl. Andrii, primus noſtris valde major exhibetur; maximoque capite inſtructus: Ipſeque eſt, quem a Fernelio Paraeus, indèque Aldrovandus retulerant. Alter verò, inſtar noſtrorum gracilis eſt, ſed longior: Tertius longiſſimus: Omnes quaquaversùs villoſi.

XXIV. Hepatici vermes, quos a communi *hepaticarum blattarum* nomine non excludimus; & a nobis non in biliosis ſolùm humani jecoris poris, ſed quoque in intima ipſa hujus viſceris ſubſtantia reperti ſunt.

XXV. Vermes, illis perſimiles, qui in caſeo veteri naſcuntur; inſpecti non ita pridem ab adſtante Medico Aliisque, dum cerebrum cujusdam Adoleſcentis in primo Taurinenſi Noſocomio diſſecaretur.

XXVI. Humanorum cadaverum genuini vermes: Qui primùm in chryſalides

XXVII, Mutantur: Deindè ab his aureliis muſcae

XXVIII, Erumpunt.

XXIX. Scabiei vermis, a Coſmo Bonomo, ſeu potiús a Hyacintho Ceſtono viſus, *opticoque* vitro ampliatus.

XXX. Ejus ovum in cryptis cutis, tanquam nidulis, depoſitum; & lente valde etiam adauctum.

Has icones, ad unam Tabulam collectas habes; ut uno aſpectu plura videas & compares. Et verò, ſi, quae hîc repraeſentantur animantia, pluribus Tabulis continerentur, oriri poſset haud parvi momenti difficultas, ex Figurarum ſimilitudine producta. Aſt contra, ſi omnia Quis, ut nunc diſpoſita ſunt, diligenter meditetur, & dum ob oculos eodem obtutu Figuras habet, eaſdem inter ſe conferat; facile cognoſcet, cum ſimilitudine, quam pleraeque inter ſe habent, quandam adeſse diverſitatem; ob quam aliae ab aliis diſcriminantur.



RERUM

RERUM IN HOC OPERE PRAECIPUARUM.

INDEX

A

B

Cho-

C

D

E

F

Fal-

G

H

I

L

M

Non-

P

Viven-

R

S

Ser-

T

V

 stinc-

FINIS.



TABVLA I.

XVII



Reg. Colleg. Alu




TABVLA II

V X



TABVLA III.

III



IV







XXIX

XXV

